B.N.C.F.
MAGL..5.6.199.
CF005270814

~~5. 6. 149~~
Biogr. Gen. 20^c

5. 6. 199

Digitized by Google

VITAE
ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT.

VOLUMEN XIV.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

ACADEMIAE PISANAE CURATORE.

PISIS MDCCLXXXIX.

EXCUDEBAT ALOYSIUS RAPHAELLIUS

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

Digitized by Google

ANTONIO CELSISSIMO
AC SERENISSIMO
SAXONIAE PRINCIPI.

ANGELUS FABRONIUS.

UT teſtatus omnibus eſſet, CELSISSIME AC SERENISSIME PRINCEPS, meus in Te gratus animus, & ſingularis obſervantia, a Te vehementer efflagitavi, dum ſuperiori anno Dreſdae eram, ut aliquod mearum vigiliarum munus in Tuo

nomine apparere ſineres. Benigne, ut ſoles, id a Te mihi conceſſum eſt, pro quo aliiſque immortalibus erga me Tuis beneficiis, ſi minus ad referendam gratiam ſatisfacere potero, ad celebrandam certe & habendam ſatis ſum facturus. Equidem ſatiari non queo, cum de Tua clementia, manſuetudine, humanitate, ingenio, religionis ſtudio ceteriſque virtutibus, quae Principes maxime commendant & ornant, praedico; & delector hoc ipſo, quod uno ore omnes conſentiant ex Te, & ex Auguſta Uxore Tua in ſinu Sapientiae apud nos educata, magnarum virtutum exempla petenda. Faxit Deus O. M. ut diu ſoſpites ſitis, omniaque Vobis fauſte, feliciter proſpereque eveniant.

VITAE
ITALORUM
DOCTRINA EXCELLENTIUM
QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT.

ANGELUS FABRONIUS HIPPOLYTO

PINDEMONTIO PATRICIO VENETO ET HIEROSOLYMITANO EQUITI.

S. P. D.

H*Anc damus veniam, petimuſque viciſſim, ut tanquam noſtratium exponantur vitae hominum exterorum, qui tum in illa veſtra Patavina Academia, tum in hac noſtra Piſana magiſtri munere glorioſe perfuncti ſunt. Ea propter vitam Paganini Gaudentii, quamvis Rhaetici hominis, Latinis litteris mandare decrevi, quam tibi nuncupo, vir clariſſime & amiciſſime, ut monumentum aliquod extet mei erga te amoris atque obſervantiae. Cognovi enim ſemper te ita cupidum rerum mearum, ut nullos aeque ſtu-*

dioſos me habere exiſtimem, pro quo beneficio neſcio equidem quas tibi gratias rependam. Si quisquam fuit unquam remotus & natura, & ratione atque doctrina ab inani laude, & ſermonibus vulgi, ego profecto is ſum. Nihilo tamen minus cum tui ſimiles, hoc eſt doctos & eruditos invenio, qui me non fruſtra conſumpſiſſe tempus judicent in hiſtoria conſcribenda, & in prodendis memoriae magnorum virorum factis, non mediocri laetitia perfruor, eoque magis incendor ad iter reliquum conficiendum. Cuperem equidem Piſani Gymnaſii hiſtoriam & mea ſponte, & multorum cohortationibus, & Principis juſſu, cujus beneficentia illi praeſum, contexere, ſed deterreor argumenti magnitudine: innumerae enim ſunt res, quae ex memoria noſtra, ac patrum majorumque noſtrorum, ex annalium monumentis, ex commentariis rerum Etruſcarum, atque ex omni ſcriptura ſunt conquirendae; peregrinandum etiam in alienis civitatibus, quod undique ad nos confluerent non ſolum diſcipuli, ſed et magiſtri; judicandum differendumque de omni diſciplinarum ge-

nere, dum ſcripta hominum, qui in iis excelluerunt, referuntur atque inter ſe comparantur; circumſpiciendae quoque res civiles, quod eae ſaepiſſime cum re litteraria conjungantur; & quod non minus in Republica, quam in litteris maximae fiunt converſiones inclinationeſque temporum, omnia momenta ſunt obſervanda, atque cauſſae inveſtigandae, quae mutationem afferre potuerunt. Tu ſaepius expertus es quanti laboris ſit vitam vel unius hominis omni ex parte declarare, quamvis is non magno temporis intervallo a nobis disjunctus fuerit, quamobrem tu, cujus judicio plurimum ſemper tribui, ſtatues ipſe, num mearum virium eſſe poſſit de tot viris dicere, quorum aetates non annis modo, ſed & ſaeculis a nobis remotae ſunt, quorumque facta obruta hominum interitu & oblivione poſteritatis pene extincta eſſe videntur. Quoniam id ſuſcepi muneris, ut vitas explicarem virorum doctrina excellentium, qui hoc & praeterito ſaeculo floruerunt, & quod ex iis maxime admirari ſoleam humaniorum litterarum cultores eximios, quod haec ſtudia adoleſcentiam

alant, ſenectutem oblectent, & quod pernoctant nobiſcum, peregrinantur & ruſticantur, poſtquam de Averanio, de Polito & de Corſinio dixi, non recuſabo de iis quoque dicere, qui ſuperiori ſaeculo qua voce, qua ſcriptis, dum operam praeſtabant ſuam huic Academiae, earumdem litterarum cauſſam ſtrenue praeceptis atque exemplis egerunt. Sunt ii quidem magni nominis, merenturque omnes, ut ſuus honos, ſuaque laus iis reddatur. Quo in numero quod fuerit & Paganinus Gaudentius, a te vehementer peto, ut ejus imaginem a me expreſſam ſic intuearis, veluti hominis, cujus lineamentis eorum pigmentorum, quae inventa aut nondum erant, aut barbaries ſuperioris ſaeculi infuſcaverat, color & flos defuit. Ex quo factum eſt, ut ex multis operibus, quae ipſe ſcripſit, quamvis eruditione & doctrina etiam abundent, nulla nunc legantur, lateantque omnia in bibliothecarum angulis. Quis negabit nobiſcum actum eſſe praeclare, quod in ea devenerimus tempora, quibus exigi a ſcriptoribus ſolet, ut purum & accuratum orationis genus afferant, ut aeque ne-

gligentiam & munditiam odioſam & exquiſitam nimis vitent, ut, circumciſa & amputata inanitate omni verborum & rerum, apta inter ſe & cohaerentia, & quid maxime deceat, ſic ut neque abſit quidquam, quod ad rem facit, neque redundet, perſequantur ac videant, ut omnia quaſi in critices lance ponant, & philoſophiae luminibus illuſtrent? Sane dum Paganinus & effuſe, & ambitioſe, & inaniter etiam ſaepe exultat in erudita aliqua quaeſtione tractanda, libenter illum aſſimilaverim viti ſerpenti multiplici lapſu & erratico, quae delectat foliorum copia, ſed quae parum fructus, quo cum jucunditate veſcaris, edit. Nihilo tamen minus deberi hoc a me homini, qui ingenio et eruditione affluit, & qui voce praeceptiſque ſuis multos noſtrorum, quo in numero etiam fuit ille medicorum princeps Franciſcus Redius, excitavit ad locupletandas & ornandas verborum dote magnarum artium diſciplinas, ut cum etiam nunc vivam illius memoriam teneremus, hanc immortalem redderem, ſi poſſem. Quod vero in hac concinnanda vita & memor tuorum erga me meritorum, & gra-

tus fuerim, hoc, ut ſpero, valebit ad tuam erga me voluntatem & ſtudium confirmandum, cujus fiducia peto a te, ut quanto citius poteris ad me mittas quae de Antonio Contio, aliiſque nobiliſſimis Poetis Venetis promiſiſti. Non enim tam ſum peregrinator, quam ſolebam, & ſic utor Piſano otio, ut ſine ulla interpellatione in litterulis meis verſer. Vale, & reviſe nos aliquando; neminem enim habemus, quocum & jocari liberius, & de temporum conditione confidentius, & de communibus ſtudiis utilius & jucundius loqui poſſimus.

Piſis Kal. Januarii MDCCLXXXIX.

Paganinus Gaudentius.

Paganinus Gaudentius Pesclavienſis, tantam apud nonnullos doctrinae famam collegerat, ut quemadmodum Galileo in matheſi, Fortunio Liceto in philoſophia, ſic illi in philologia nemo par poneretur. Quod Gabrielis Naudei ſive teſtimonium, ſive judicium licet aſſentatione aliqua ſuffuſum videri poſſit, magnum tamen virum illum appellare minime dubitamus. Quod vero ei, quamvis in Rhaetia nato, locum dederimus in pinacotheca Italorum doctrina excellentium, utemur excuſatione ſtudii & amoris in Academiam Piſanam, cui nos praeſumus, cuique Paganinus viginti & amplius annos operam ſuam praeſtitit. Jam ſi quaeras ſitum oppidi, in quo ipſe natus eſt, ex ipſo comperies: ait enim.

Trames ubi aerias Rhaetorum detigit alpes,
Et lento incipiunt ſurgere colle juga;
Qua bene cultus ager glacialem ſubmovet Arcton,

Et lacus occiduam proſpicit Italiam,
Peſclavj haud humilem eſt operae cognoſcere vallem,
Quam natura arcto muniit ipſa loco.
Hic ego vitales quondam hauſi luminis auras,
Hic luſi, puer hic litterulas didici.
Hic etiam reliquae traducere tempora vitae,
Hoc cupiam haud alio conſenuiſſe ſolo.
Aſpera ſit tellus quamvis, tamen haec mea dulcis
Haec patria eſt. Patria quis caruiſſe velit?

Eodem quoque auctore compertum habemus in vitam ipſum introiiſſe anno MDLXXXXVI. nactumque fuiſſe praeceptorem in iis ſtudiis, quibus pueri ad humanitatem informari ſolent, Petrum Menghinium virum doctrina & optimis artibus eruditiſſimum. Quantos autem, illo duce, progreſſus fecerit, quantumque illi tribueret hoc epigrammate indicavit.

Te duce, litterulas didici, didicique docente
Te, Petre, Romuleis reddere verba modis,
Fontibus Arpini puros deducere rivos,
Et placare ſitim flumine Virgilii.

Digitized by Google

O ſtudii generoſa tui pietaſque fideſque,
O cura ignavas neſcia ferre moras,
Qua celerare gradum pectus juvenile jubebas
Magnorum referans dia reperta Virûm.
Parvis ergo aliquid rebus ſi forte paratum eſt
Laudis, & horreſco jam minus invidiam.
A te principium ſumptum eſt, Menghinc, laboris,
Auſpice te, ſtratam nunc quoque curro viam.
Te ſine nil mea mens molitur amore ſciendi,
Te ſine nil urget, te ſine nil peragit.

Laudis amor, ad quam vel a prima aetate totis viribus Paganinus incubuit, ab eo obtinuit ut celebriores Germaniae Academias peragraret; & cum audiviſſet Othonem Gryphium, Paullum Bombergerum & Chriſtophorum Vilcoverum, maximarumque rerum & plurimarum ſuavitate, copia, varietate pectus compleſſet, locum in illuſtri aliquo Gymnaſio aut ſperavit, aut cogitavit. Quod non parum ſtudiorum ſuorum divinis rebus imperti-verat, quorum cauſſa non Graecam modo, ſed & Hebraicam atque Chaldaeam linguas didi-

cit, coepit ad ſanioris theologiae praecepta multa Haereticorum dogmata perpendere, eaque praviſſima reperit. Quae ſecum diſſeruerat communicavit cum homine catholico, hujuſque cohortationibus deliberavit Calvini ſectam, in qua doctus & altus fuerat, deſerere. Is nulla re, nulloque praemio deterreri a propoſito potuit, & cum videret totam Rhaetiam ac Valtellinam miſere jactari ac lacerari Haereticorum immanitate atque perfidia, nihil tam deteſtabile atque peſtiferum eſſe judicavit, quam illorum ſequi partes atque errores. Multa & ipſe, cum ad ſuos rediiſſet, perpeti debuit ab illis omnium malorum ſeminatoribus, & ſpoliatus ſcriptis ſuis cum de vita quoque timeret, conſulentibus amicis & propinquis, ſolum vertere ſtatuit. Fuit aliquandiu in Inſubria, poſtea Romam venit, ſperans in urbe, in qua domicilium & ſedem doctrina & religio habere putantur, ſe poſſe fortunae ſuae conſulere. Sedebat tum ad catholicae Reipublicae gubernacula Paullus hujus nominis V. qui cum doctrinarum, ſi unam excipias Juris prudentiam, rudis eſſet atque ignarus, non admodum magnis ingeniis favebat; quin immo illi ſuſpecta

atque inviſa eſſe videbantur. Nihilo tamen minus benigne & comiter ipſe excepit Paganinum, cum audiiſſet a Mutio Vitelleschio, qui Jesuitarum familiae tum praeerat, illum deſeruiſſe patriam, lares familiares, & munera ſatis ampla recuſaſſe, ut in Eccleſiae catholicae caſtris militaret, & operam ſuam Romanis Pontificibus deſerret. In parentis loco colebat Paganinus Vitelleschium, virum profecto cum paucis humanitate, dexteritate & prudentia comparandum, quo conciliatore, ad amicitiam acceſſit Bellarminii Cardinalis, Alexandri Pallavicinii ejuſque filii Sfortiae, aliorumque nobilitate & doctrina praeſtantium virorum. Cum coepiſſet frequentare Humoriſtarum Academiam ceteroſque litteratorum hominum coetus, qui tum maxime celebrabantur, ſtatim cognita ejus doctrina eſt, & ſaepe a cuncto conſeſſu plauſus multiplex dabatur dicenti ex tempore de maximis graviſſimiſque quaeſtionibus. Cum de natura rerum, aut de humanis diviniſque rebus loquebatur Paganinus, nullis prope terminis circumſcribebat ac definiebat jus ſuum, quo minus ſibi licere putaret magna facultate & copia vagari qua vellet. Quam-

obrem ſic ſentiebant omnes, multis illum eſſe artibus inſtructum, quibus ipſis, ſi in dicendo non utebatur, tamen apparebat utrum eſſet earum rudis, an didiciſſet. Quanquam ſero ac leviter Graecas litteras attigiſſet, eas tamen ſic tenere putabatur, ut earum tradendarum in Archigymnaſio Romano munus illi aſſignatum fuerit. Et quia tum perpauci erant his ſtudiis dediti, de eorum utilitate ſic diſſerebat, ut omnes, qui ad eum concurrebant, intelligerent magnam in iis eſſe vim ad eloquentiam &. poeſin, ad philoſophiam omnemque ſapientiam adipiſcendam. Sane genus orationis adhibebat hujuſmodi, quod multum diſcipulorum animos excitare atque inflammare debebat (fervidum enim erat, & interdum etiam furioſum); at illi plane deerat ille quaſi ſermo corporis, qui adeo in dicendo dominatur, hoc eſt actio, nec vocis varietates ac modos noverat. Studio autem nemo, neque induſtria majore erat, ut nullum tempus illi unquam vacaret aut a legendo, aut a ſcribendo, aut a cogitando. Cum autem Pontifex Maximus factus fuiſſet Urbanus VIII., quo imperante ad dignitatis priſtinae ſpem revoca-

tae

tae litterae videbantur, de illo et Barberiniis omnibus ſibi demerendis toto animo Paganinus cogitavit. Quoniam autem nullum genus litterarum aut nobilius, aut iis temporibus aptius videbatur rerum divinarum tractatione, quas praeſertim excolebat Paganinus, quod ab iis ex diuturna perturbatione animi tanquam ad adſpiciendam lucem ſe fuiſſe revocatum dicebat, opus edidit an. MDCXXV. *de dogmatibus & ritibus veteris Eccleſiae* duas in partes diviſum, illudque ipſi Summo Pontifici nuncupavit. Ille vero & praeclara quidem multa attulit, & eam utilitatem, quam requirebat, ut, explicatis praecipuis catholicae Eccleſiae dogmatum capitibus, uno in conſpectu poneret quid veteres Patres de iis docuerint, quidque his ipſis tribuerint doctiſſimi Calvini ſectatores, mirum in modum obtinuit. Sic praeteritam culpam, quod eorum ſectae adhaeſerit, videri voluit redemiſſe, & ad catholicae Religionis auxilium non cum bona voluntate nudus, ſed cum facultatibus ingenii atque doctrinae acceſſiſſe. Quod tum ipſa ſcientia, tum etiam fidelitate & ſtudio bonis omnibus ſe ſatisfeciſſe intelligebat, non mul-

to poſt aliud opus emiſit, quod inſcripſit: *Velitationes adverſus Chamieri Panſtratiam*. Hic Calviniſtarum cauſſae dux, et quaſi ſignifer aliquot iis temporibus volumina ediderat, quae idcirco *Panſtratiam* appellavit, quia videri volebat diligentius atque accuratius de iis rebus, de quibus erat controverſia Catholicos inter & Calviniſtas, diſputaſſe. Paganinus, cum duo priora volumina in manus ſumpſiſſet, exarſit deſiderio confutandi audaciam nocentiſſimi hominis; ſed minime a ſe obtinere potuit, ut opus contexeret, cujus omnes partes inter ſe aptae colligataeque viderentur & eſſent. Perinde ac ſi eſſet levis armaturae prima excurſio, modo hoc, modo illud argumentum adverſarii nullo ordine refellit; ſed quia haſtae amentatae velitibus etiam tradebantur, has ſuas *velitationes* Auctor magno rationum pondere roboravit. Gloriatur ſe more patrio loqui, id eſt libere, & libertatem & doctrinam haud mediocrem prae ſe fert, dum vulgatam ſacrorum librorum editionem, Eccleſiae & traditionum, ut loquimur, auctoritatem, & multa catholicorum dogmata atque inſtituta defendit. Quod in detegendis

Haereticorum machinationibus, eorumque furore atque petulantia contudenda ſe ſatis acutum & robuſtum arbitrabatur, alia plura hujuſmodi ſcripta paraverat, quae ita compreſſit, ut illa emanatura ſperaret, quando meliori uteretur fortuna. Multum ingenii & virtutis, modice fortunae & temporum munera illum tangebant, quorum non tam facultatem unquam & copiam expetendam putavit, quam vel in utendo rationem, vel in carendo patientiam. Sed cum videret ſaepe otioſos et loquaces, raro doctos & eruditos donari praemiis ampliſſimis, confidentius de ſtudiis & laboribus ſuis honeſtiſſimis loquebatur, quam hominem modeſtum decere videri poſſit. Ut meliora ſperaret, faciebant etiam cohortationes & commendationes Caſſiani a Puteo, qui Peireskius Italicus ob miram induſtriam ac liberalitatem in excitandis hominibus ad laudis amorem merito appellabatur, Alexandri Pallavicinii, Joannis Ciampoſii, Auguſtini Maſcardii, aliorumque, quorum magnum tum erat nomen atque auctoritas, & cum quibus Paganinus ipſe familiariſſime vivebat. Quanquam haec magni facienda eſſent, cepit

tamen conſilium non diutius in Urbe fortunae periculum facere, quae amica varietati reſpuere videtur conſtantiam; & ſuffragatoribus Mutio Vitelleſchio atque Franciſco Niccolinio Senatore ampliſſimo Florentino, quem Ferdinandus II. Magnus Etruriae Dux ad Summum Pontificem legatum miſerat, obtinuit, ut in locum ſuccederet Ludovici Scapinellii, qui quanquam luminibus ſemper caruerit, Piſis admirabiliter humaniores litteras docuerat. Accidit id an. MDCXXVIII. decennio poſtquam Gaudentius Romam venerat. Non tam illi gratum fuit muneris genus, & ſtipendium quingentorum centuſſium, quod illi aſſignatum fuit, quam jucunda commoratio in Etruria, in domicilio ſcilicet philoſophiae & omnium nobiliorum artium atque diſciplinarum, quae quidem eo magis florebant iis temporibus, quod Ferdinandus Magnus Dux nulli parcebat ſumptui ac ſtudio, cum eſſet ipſe acerrimus ingeniorum aeſtimator, ad illas provehendas. Quod ei de ſtatu ſuo, de Magni Ducis humanitate ita gratulatus ſit Alexander Taſſonius, ut Romanam aulam perſtrinxerit, quaſi in ea nullus virtuti eſſet locus, cum omnia avaritia occupaſſet, minime mira-

buntur ii, qui norunt libertatem loquendi hominis, cui maxime dolebat, quod Barberinios nunquam propitios habuiſſet (1). Tum quidem

(1) *En epistolae exemplum datae* VIII. *kal. Decemb. an.* MDCXXVIII. *Eam primum vulgavit vir Clarissimus Tiraboschius, cum Tassonii vitam expoſuisset in Bibliotheca, ut vocatur, Mutinensi.*

Gaudio gavisus ſum magno valde alla ricevuta della voſtra lettera e del trattato di V. S. veggendola finalmente uſcita dagli ſtracci della Corte di Roma e dalle mani de' Barbari. V. S. canti in exitu Israel de Aegypto & de populo barbaro, perchè mi pare che faccia giuſto a propoſito per lei, che è ſtato tanto tempo imbarbarito per non dire imbarberinato. Ora V. S. ſi goderà i tordi e il Greco di Piſa in coteſta terra di promiſſione, e laſcerà le cipolle d' Egitto a que' poveri sfortunati, che fabbricano le piramidi nel deſerto. Io fui nella mia gioventù a coteſto ſtudio, e v' ebbi di molti amici e particolarmente Fiorentini; ma i Dottori di quel tempo ora ſono tutti morti, e anche la maggior parte degli ſcolari. Ringrazio poi V. S, dell' onore che mi hà fatto in Fiorenza con quel Sereniſſimo Principe ne' ragionamenti che ha tenuti con lui, e la prego ad eſſer costì fautore e protettore dell' opere

Academia Piſana plena erat virorum doctorum, ſic ut nulla tota Italia nec illuſtrior, nec frequentior dici poſſet, quapropter Paganinus omni cura ſibi conandum putavit,

---

mie, come io all' incontro farò delle ſue. Coſtì ella avrà campo d' eſercitare il ſuo natural talento, che la fa appunto nata alla cattedra; ma V. S. non ſi addomeſtichi molto cogli ſcolari, e mantenghi la gravità magiſtrale per non eſſere diſprezzato da loro, come al mio tempo interveniva al Dot. Talentoni da Fivizzano, che voleva far troppo del galantuomo, o del buon compagno, e gli ſcolari non laſciavonlo mai leggere. Quì il noſtro (*cioè Lodovico Scapinelli*) ſi porta egregiamente. Non ſo come a Roma rieſca il Maſcardi. Lo Scioppio è tuttavia a Milano. V. S. gli ſcriva che ne avrà guſto, perchè egli ancora è uno di quelli che fanno quel concetto della Corte di Roma, che ſi fa di quella del Turco, dove chi non ha denari rimane eſcluſo, e non può aſpirare al titolo di Baſsà. Noi ce la poſſiamo quì in Bologna come tanti ſcappati di galea, ſebbene ci abbiamo trovata careſtia d'ogni coſa queſt'anno, eccetto che di Dottori e di pollami magri. De' Dottori ſe ne veggono le truppe per le ſtrade come di

ut per ſe quoque ſtudia recta ab optimis concelebrata eniteſcerent. Una atque altera oratione expoſuit ſtatim quid ſentiret de universa eloquentia. Probavit enim ſine graviorum artium inſtrumento, et multarum rerum, ac praeſertim civilium uſu & prudentia illam non poſſe exiſtere. *Homerus*, ait ille, *ut ſapientiae, ſic eloquentiae parens duos memorat, quos prae oculis habeamus, ſi ſapienter diſerti eſſe volumus, Neſtorem & Ulyſſem. Ex illius ore melle dulcior prodibat oratio. Hic ad excidium Trojanorum forte plus contulit lingua, quam Achilles gladio. Utrumque, quod multiplici uſu in vita civili fuere inſtructi, multum eloquentia valuiſſe haud mirari debemus.*

---

montoni, e i pollami ſono assai a buon mercato, ma hanno la pipita, e potrebbero ſervire per lanterne. V.S. mi ſcriva ſpesso, ma non con carattere così da Principe, che mi diſpero poi per intenderlo, e quì non ci è interprete nè di Ebraico, nè di Arabeſco, Fra otto giorni ce ne anderemo alle nozze di Parma a ſaginarci, e ſtaremo là fino a Natale; e le bacio le mani.

Sane gaudebat Paganinus, quod & ſibi onus impoſitum fuiſſet docendi hiſtoriam & politicen, quia haec ſtudia maxime conducunt ad noſcendas hominum naturas voluntateſque, civitatum mores converſioneſque rerum publicarum, et ad vitam, omniſque fortunae motum ratione quadam gubernandum, quae qui tenent, eos civilium rerum peritiſſimos judicare debemus. Profecto perpauci tum noverant artes, quibus fontes eloquentiae continentur: nam humaniores litterae tot vitiis contaminatae erant, ut omnem priſtinam dignitatem amiſiſſe viderentur. Sed Paganinus dum diſſerebat ſatis perite de eloquentia, ab illa aberat plurimum; de ea perfecta loquor, quae ad elegantiam verborum adjungit oratoria ornamenta, quae tantopere in Demosthene, Iſocrate, Cicerone aliiſque hujuſmodi oratoribus admiramur. Non ille ſemper pure & emendate loquitur, quamquam multum ſe ſtudii tum in Latina, tum in Italica lingua poſuiſſe affirmet; non utitur imaginibus agentibus, acribus, inſignitis, non permovetur iis ipſis ſenſibus, ad quos auditores ſuos adducere vult, non tenet locos, quibus impetus animorum aut impellan-

tur, aut reflectantur, non inventa ordine ac momento quodam judicioque diſpenſat ac diſponit, non ſemper ad rerum dignitatem apte & quaſi decore dicit, modo inops eſt, modo nimium abundans, & ſaepe ab eo, quod ſibi propoſuit, minus opportune aberrat. Adde quod cum voce abſonus, & vultu motuque corporis vaſtus & agreſtis eſſet, etiam ſi ingenio valuisset, tamen in oratorum numerum venire non potuiſſet. Solemus quidem de iis artibus, in quibus non utilitas quaeritur necessaria, ſed animi libera quaedam oblectatio, non diligenter modo, ſed et prope faſtidioſe judicare, quapropter non multum conſuluisse famae ſuae contendimus Paganinum, quod in lucem protulit omnes, quas Piſis habuit, Latinas orationes, quae ſi laudatae fuerunt iis temporibus, quibus emiſit ipſas, nunc quidem pulvere obſitae paucis latent in bibliothecis. In hoc etiam ſe glorioſe vires exercere ſuas arbitrabatur, cum ex tempore dicebat; & extemporalis quidem dictionis ſaepe in ſcriptis ſuis defenſionem ſuſcepit, quam magno cum plauſu in Inſubria, Romae & in Etruria ſe magnorum virorum exempla ſecutum adhibuiſſe affirmabat. Etſi au-

tem utile ſit ſubito ſaepe dicere, praeſertim in ſchola, tamen illud utilius, ſumpto ſpatio ad cogitandum, paratius atque accuratius dicere; atque ſi diligentem et accuratam ſcriptionem ſubitae et fortuitae praetuliſſet Paganinus, ſi opera poliſſet lima, ſi paucis contentus fuisset, profecto memoriam ſuam ab oblivione hominum vindicasset. Verum cum ipſe abundaret doctrina & eruditione, nec mediocrem operam consumpſiſſet in omnibus iis artibus, quae ad humanitatem pertinent, in theologia atque in juris prudentia, cum facilis & expeditus eſſet ad ſcribendum, cum otio diffflueret, multa & varia eodem tempore ſuſcipiebat, ſperans quo plures foetus procreaſſet, fore ut traduceret homines ad magnam ſui admirationem. Prima, quae dixit Piſis, ſpectabant ad Tacitum, quem interpretans interiora & reconditiora politices praecepta ſe traditurum diſcipulis ſuis pollicebatur. De illo Diatribas etiam quasdam vulgavit, quod idem de Svetonio, ceteriſque Auguſtae hiſtoriae ſcriptoribus se facturum ſpopondit. Quam hiſtoriam ut magis magiſque illuſtraret, ſeparatim de Caeſarum philoſophia, ac ſtudiis praeſertim poeticis, de eo-

rum in judiciis ferendis conſuetudine, peregrinationibus, actis, funeribus tractandum ſuſcepit. Sed dum, uti diximus, in multa & varia intendebat animum, non omnia perficere potuit. De philoſophia quidem Caeſarum diſſeruit, cum omnium nobiliſſimae facultatis ortum, progreſſionemque a Numa uſque ad Theodoricum, edito libello, expoſuiſſet, quem tanti non eſſe merito judicavit Jacobus Bruckerus, ut hoc adjumento indigeret ad ſuam philoſophiae hiſtoriam contexendam. Sed glorioſum fuit formam operis adumbraſſe, in quo ſane maxima ineſſe poterat utilitas. Magni enim refert ſcire quid contulerint Principes ad ſcientiarum & artium incrementum, parvi quos triumphos egerint, quasque injurias calamitateſque populis intulerint. Quod Platonem maxime admirabatur Paganinus, et in illius ſcriptis legendis plurimum ſtudii conſumpſerat, videbatur iraſci iis, qui ſe eſſe Peripateticos profitebantur; quapropter ut audivit Leopoldum Mediceum cogitare de reſtituenda Platonica Academia, quae tantam pepererat gloriam majoribus illius, ei gratias egit, et Piſani Gymnaſii et totius Etruriae nomine gratulatus eſt. Quam

eſſet Platonicae philoſophiae retinendae ſtudioſus plurimis in locis ejus ſcripta declarant; quam eſſet vero Scholaſticis adverſus maxime oſtendit, cum *de Ariſtoteleo veterum contemptu* librum vulgaſſet. Nihil praetermiſit quin homines ab Ariſtotele avocaret; et dum in ſchola Lucretium interpretabatur, Democritum ſic efferebat, ut ejus fontibus phyſicos omnes, ſicuti ab Epicuro factum videmus, hortulos ſuos irrigare cuperet. Attigit et Pythagorea, *de animarum tranſmigratione* una atque altera diſſertatione agens, ut ſe perfecte eruditum omni philoſophica doctrina oſtenderet. Saepe etiam quaerebat quae quaſi ſemina philoſophiae ſuis in ſcriptis ſparſiſſent Eccleſiae Patres, et quae de Origenis dogmatibus cum Platonicis conlatis, et de Tertulliano, loca quaedam ab Cerda et Rigaltio non ſatis animadverſa explicans, vulgavit, doctorum hominum teſtimoniis laudata fuerunt. Plura etiam de Tertulliano litteris mandare decreverat, ſed haec rudia reliquit, ſi illa excipias, quae *de vita Chriſtianorum ante Conſtantini tempora* vulgavit, quae magna ex parte e Tertulliano deprompta ſunt, in quo tanquam in ſpeculo expreſſam imagi-

nem eſſe ajebat Chriſtianae antiquitatis. Imitatus Pythagoreos, qui carminibus ſoliti erant et praecepta quaedam tradere, et mentes ſuas a cogitationum intentione traducere, ſpargebat libros Latinis verſibus, quorum plura millia habes vel in ſolo opere *de Romanorum philoſophiae hiſtoria*. Ferebat illa aetas hunc morem, et quod pauci tum diſcernebant quod rectum eſſet in oratione, laudabat Paganini Muſas, quae ex recordatione omnium temporum omniumque geſtarum rerum depromebant carminum argumenta. Diligens hic inveſtigator antiquitatis non modo philoſophorum judicia, ſed etiam ſomnia magni facere videbatur, et quae *de prodigiorum ſignificatione* ſcripſit, ſatis ejus credulitatem arguunt. Poſtquam homines minus creduli eſſe coeperunt, cum riſu narrabant leviſſima ejus auguria rerum futurarum, et quae habebat ſigna, quae obſervaret, ominis capiendi cauſſa. Si quid hujuſmodi offendiſſet, cum pedem efferebat aedibus, intro ſtatim redibat malus infortunii augur. Laudavit, quod ſane miraberis, ejus diſcipulus Franciſcus Redius dicta ab eo in ſchola de mon-

ſtris et prodigiis (1) an. MDCXLVI., ſed tum Redius aberat plurimum ab illa perfecta philoſophia, atque poeſi, quibus poſtea immortalitatem eſt conſecutus. Plura perſequi de editis a Paganino libris, quorum index erit in extremo commentariolo, prohibet timor, ne quid injucunditatis habeat narratio. In quibusdam enim eorum ita confuſa eſt materies, ita perturbata, tantae ſunt digreſſiones a propoſito, tantae opinionum levitates, ut omnino carere videantur judicio illo polito et limato, ſine quo in ſcriptis nihil quicquam egregium. Nihilo tamen minus is iniquus eſſet, qui Paga-

(1) Madrigale di Franceſco Redi all' Eccellentiſſimo Paganino Gaudenzio per il ſuo eruditiſſimo diſcorſo de' moſtri e de' prodigi dell' an. *1646.*

Fra' tuoni d' eloquenza oh! come bene
Con amabil fierezza a noi dimoſtri
Dai prodigi e dai moſtri
Ciò che ſperar, ciò che temer conviene.
Nè maraviglia prenda
Chi te di lor gran dicitore intenda.
Tu diſcorrer ne dei,
Che di ſaper sì nobil moſtro ſei.

nino non concederet multam eruditionis vim, qua fiebat ut magna de eo eſſet opinio non Piſis modo et in Etruria, ſed etiam apud abſentes. Cum veniſſent aliquando Piſas Joannes Fridericus Gronovius, Iſaacus Voſſius, et Joannes Priceus, plures hic dies commorati ſunt, ut Paganini conſuetudine fruerentur, cui uni tribuebant plurimum. Ab Henrico Spondano, a Sigiſmundo Boldonio, ab Antonio Quaerengo, a Guaſparre Scioppio aliiſque tum Italis, tum exteris doctiſſimis viris, quos ſingulos commemorare minime eſt neceſſe, multas amoris declarationes habuit. Quanta vero beniguitas in illum Ferdinandi II. Magni Etruriae Ducis! Aderat ſaepe Paganinus ejus menſae cum magni nominis Medicis Stephano Roderico Caſtrenſi, et Julio Guaſtavino, et valde jucundum erat Principi omnis praeclarae artis ſtudioſiſſimo audire hominem promptum ad reſpondendum de quacumque, quae poneretur, quaeſtione. Magni etiam facere videbatur Ferdinandus illius judicia de viris doctrina excellentibus; et merito quidem, cum ex illius diſſertatione *de Scriptoribus a Politices ſtudioſis legendis*, quae extat in libro *de evulgatis*

Romani Imperii arcanis conjici poſſit fuiſſe illum ſapientiſſimum judicem. Neque illius judicia ulla aut malevolentia, aut invidia ſuffuſa erant; quamquam nunquam ſibi praecidebat libertatem dicendi quae ſentiret. *Aliae nationes,* ajebat ille, *ſervitutem pati poſſunt, populi Rhaetici eſt propria libertas, quam dum vivam retinebo.* Erat et in eo virtus & probitas, & ſummum officium & ſumma obſervantia erga Mediceos omnes, ut teſtatus eſt, qui tum Academiae Piſanae praeerat (1) qui virtutis amor efficiebat, ut illorum conſuetudinem vitaret, qui ab illa deerraſſe putabantur. *Cur mihi vitio dant nonnulli humunciones* (inquit) *quod non patiar eſſe vitioſos eos, quibuscum confabulor, quibuſcum deambulo in Gymnaſio, ad Arnum, aut quibuscum in Bibliopoliis ſto, aut ſedeo?* Aequi ſane homines ei laudi da-

---

(1) Quae de Paganino memoriae prodiderunt tum Hieronymus a Sommaja, tum Alexander Minerbettus, qui, illo docente, praefuerunt Academiae Piſanae, hoc loco exſcribemus.

Digitized by Google

dabant, quod diſcipulis cohortationibus ſuis non modo ad ſtudium cognoſcendae doctrinae, ſed etiam exercendae virtutis concitaret atque inflammaret, eique glorioſum fuit habuiſſe plu-

---

An. 1632. Informazione di Monſignore Girolamo da Sommaia

Paganino Gaudenzio Grigione Umaniſta con ſcudi 500. Ha dieci anni di dottorato, e fu condotto a Piſa nell'anno 1628. E' uomo di circa a 40. anni. Non ha altro guſto, che ſtudiare, nè altro paſſatempo, che comporre. Di quì naſce, che ha così gran facilità nel fare una lezione, o orazione all'improvviſo, che non ſpende neppure un' ora, e ci ſarà materia per due. Leſſe in Roma in Studio lingua Greca. Ha notizia non piccola dell' Ebraica, Araba, e Caldea. E' pratichiſſimo degli ſcrittori Eccleſiaſtici, Concilj e Riti antichi. Ha ottima notizia delle Iſtorie antiche e moderne, e particolarmente delle Romane. Ha ſtampate molte operette, e molte ne ha in pronto, e ne và meditando; e ſe le lima un poco, come promette, ſi crede ſiano per dargli grandiſſima riputazione. Vive alquanto alla filoſofa, è però d'ottimi coſtumi, e di ardenza grande. La fatica è ſuo continuo commenſale. La maniera del porgere

rimos omnium ſermone celebratiſſimos, inter quos honoris cauſſa nominare lubet Julium Roſpilioſium, qui Pontificatu Maximo dignus inventus eſt. Gratus erga auctores ſalutis & for-

---

non ſolo le erudizioni, ma anco le diſpute, e dei diſcorſi pubblici, potria eſſer migliore, e non sì ruvida, ed impetuoſa, che lo rende poco grato, ed alcune volte quaſi ridicolo. Però ſi va mitigando. In ſomma è un miſto di molte parti degne di gran lode, e di alcune degne di non piccola compaſſione. E' gratiſſimo al Generale de' Geſuiti.

Anno 1649. Informazione di Monſignore Aleſſandro Minerbetti.

Sereniſſimo Gran Duca.

Paganino Gaudenzio della Rezia fu negli anni della ſua gioventù negli errori dell'ereſia, ma conoſciuta poi la verità, con generoſo rifiuto di onorevoli impieghi, e groſſi ſtipendj, che gli offerivano quelle Genti della Rezia, paſsò alla fede cattolica. Si trattenne in Roma poco tempo, d'onde

tunae ſuae ſaepe et libenter de iis praedicabat Paganinus; verum quamquam in largitione laudum interdum effuſus eſſet, minime tamen a ſe obtinere poterat, ut ad aliorum vo-

---

venne chiamato dalla pietà, e liberalità di V. A. R. alla cattedra delle lettere umane in queſto ſtudio di Piſa con ſtipendio di 500. ſcudi. Ha letto molti anni continui, eſſendo ſtato tenuto non ſolo nell' Italia, ma dagli Oltramontani ancora uno dei più celebri Letterati della noſtra città. Non enno da lodare la ſua letteratura, perchè è notiſſima; dico bene che nel tempo, che ho avuto occaſione di trattar ſeco, ho ſempre ſcorto in lui ſentimenti di un obbligo infinito, e una ſomma reverenza verſo V. A., e di tutta la Sereniſſima Caſa; e ne avrebbe forſe data alle ſtampe qualche notabile teſtimonianza, ſe non foſſe ſtato ſopraggiunto dalla morte in età freſca ancora, e proporzionata appunto ai parti migliori degl' ingegni per l'immortalità. Morì nel 1648., avendo fatto in queſt'anno il corſo delle lezioni della prima terzeria, nel qual caſo non mancano eſempj che la liberalità di V. A. ha fatto grazia agli Eredi dei Lettori benemeriti di queſto Studio dello ſtipendio di tutta l'annata.

luntatem loqueretur, cujus rei haec indicia eſſe poterunt. Amabat Jeſuitas et pro illorum

---

Singularis Paganini ſtudii in Mediceos Principes, cujus mentionem fecit Minerbettus, plurima ſane extant monumenta in ejus editis operibus. Ex his unum exſcribere lubet carmen ſatis molle & tenerum de obitu Franciſci Medicei Ferdinandi II. Fratris, qui in flore juventae glorioſe occubuit, dum Ratisbona a Caesareis obſidebatur.

Omnia nunc arent, nunc ſicco in pulvere Nymphae
Languidulae latitant.
Dum canis allatrat campos, ſaeviqne leonis
Cauda flagellat agros,
Floriferis gratus pratis ſubducitur humor,
Floraque deflet opes.
Fruſtra quaeruntur flores in vallibus imis.
Quid facies tumulo
Si deſunt violae cum purpureo narciſſo,
Idaliaque roſa?
Scilicet ut cecidit Tuſcae flos inclitus aulae,
Omne decus periit,
Quo pallent violae, quo candida lilia vernant,
Quo roſa pulcra rubet.

Digitized by Google

merito, & pro maximis, quibus erat illis obſtrictus beneficiis. Hi ſoliti large liberaliterque aeſtimare quidquid a ſuis prodibat, de Famiano Strada sic praedicabant non eſſe hiſtoricum unum ex multis, ſed potius inter multos singularem, ut vel ipſi Livio eſſet praeferendus. Itaque, ut audierunt Paganinum emiſſurum Diatribas ſuas ad Famianeam hiſtoriam & in Tacitum, vehementiſſime ab eo petierunt, ne quid vulgaret quod ſuorum dictis adverſaretur. Sed ipſe minime in eo ſe exorari ſivit, in quo adulator videri potuiſſet, & ea de Famiano protulit, quibus probavit, ipſum tantum differre a Livio, quantum differunt mediocres a ſummis viris, nec ſemper vera dixiſſe. Graviter haec tulerunt Jeſuitae, ſed ipſe in omnibus ſuis dictis & factis hoc ſpectabat unum, quod rationi & aequitati congrueret, non quod alii laudaturi eſſent. Hinc factum, ut vel in magna gloria multorum animos habuerit inimicos & invidos, quos neque officiis, neque blandimentis homo oratione & moribus durus leniebat. Inflammabat etiam interdum arroganti ſuarum laudum praedicatione, & acerba accuſatione eorum, ac

praeſertim collegarum (1), quos infra ſe labore & celeritate in conficiendis operibus eſſe putabat. Si illum audiviſſes, tam bonus erat Italicus Poeta, ut cum Petrarcha contendere poſſet; & miror equidem, cum vix tolerabilia carmina panderet, Apollinari laurea aliquando illum donatum fuiſſe, dum

---

(1) *Haec ſane valebant ad excitandum collegarum odium atque invidiam. Ait enim, poſtquam numeravit libros a ſe editos, dum Piſis docuit*, in ejuſmodi operibus ſubinde leguntur, quae faciunt ad gloriam Etruſcae nationis, ac praeſertim ad laudes Sereniſſimorum Etruriae Magnorum Ducum Principumque. Ita dum Profeſſores Gymnaſii Piſani plerique omnes indigenae & Tuſci aliis curis incumbunt, & a componendis evulgandiſque libris abſtinent, unus externus apud Rhaetos natus ſuum ſtudium ſuamque obſervantiam hac ratione Sereniſſimo Ferdinando II. Domino benigniſſimo probare ſatagit, jubetque in ventos ire garrulorum, tenebrionum & ignotorum hominum non hominum voces, quibus oſtendunt ſe dolere ab alio praeſtari, ad quod ipſi prae hebete tardaque ſocordia & animi imbecillitate aſpirare nequeunt.

Florentiae erat apud Scipionem Capponium (1) ſed hoc condonandum temporum infelicitati. Quod tamen erat ſatis a philoſophia, optimeque a jure civili, & ab hiſtoria inſtructus, munus aliquando habuit ab Academiae Curatoribus jus feudale, ut loquimur, extra ordinem explicandi, & de illius origine quaedam vulgavit. Haec omnia in inſtrumento & ſupellectili Paganini numerabantur, quae ut conſequeretur, tantum evigilavit in ſtudio, ut nemo illi par induſtria, & in labore ferendo conſtantia poneretur. Carmine quodam Latino Sfortiae Pallavicinio totam rationem vitae ſuae

(1) *Ita ille in libro, quem inſcripſit*; La Galleria dell'Inclito Marino. Io ho ſentito più volte con mio gran guſto il Lenzoni, il Cicognini, il Malateſta, Piero Strozzi, Marco Lamberti, i quali due nell'an. 1635. eſſendo io ſtato coronato poeta dal Sig. Marcheſe Scipion Capponi dopo un ſolenne banchetto, nel quale ſi trovò il fiore della gioventù e nobiltà Fiorentina, entrando in carrozza dell'iſteſſo Sig Marcheſe per farmi honore improvviſarono ſopra tal laurea ſin a caſa mia, alla quale la corteſia di quel Signore mi conduſſe.

expoſuit, ex quo apparet ſuaviſſimum illi fuiſſe paſtum vigilias & labores, fuiſſeque eumdem hac indole virtutis & continentiae, ut reſpueret omnes voluptates atque leviora oblectamenta. Quoniam igitur omnes illius curae cogitationeſque in vero exquirendo & in officiis magiſtri exequendis ſemper verſatae ſunt, dignum factis exitum ejus vita habuit. Sancte enim mortem obivit. III. Non. Jan. an. MDCXXXXVIIII., ejuſque cadaver conditum fuit in ſepulcreto Piſano, quod Campum Sanctum dicimus, cum hac inſcriptione, quam fecit Bartholomaeus Cheſius Juris conſultus, collegae amiciſſimi morti illacrimans.

D. O. M.

Paganino Gaudentio Peſclavienſi incliti nominis Philoſopho, Theologo, I. V. Cons. probitate naturali, ingenuitate, ſtudio Reip. praedito ad exemplum; humanioribus vero litteris & politice ad invidiam, quas in Piſano Gymnaſio per annos XXI. profeſſus exteros multos ad ſe vocante ſama pertractos, praeſenti eruditione obruit, poſteros, edito multiplici volumine, locupletavit, editurus

Digitized by Google

plura ſi dies adfuiſſet, qui de re quacumque conſultus indeficientem pandebat ex tempore diſſertationis doctiſſimae venam, de ſe tantum parcus. Sic habens fato propinquus & quaſi praeſcius

Rhetia me genuit, docuit Germania, Roma
Detinuit, nunc audit Etruria culta docentem.

Obiit Piſis impavidus an. D. CIↃ. IↃ CIL. *tertio non. Jan. natus an.* LIII. *Bartholomeus Cheſius Pis. I. C. & in Pis. Gymnaſio J. Civ. Ord. Profeſſor executor teſtamentarius tantam literarum jacturam deplorans*

P.

Digitized by Google

De dogmatibus & ritibus veteris Eccleſiae. Haereticorum hujus temporis & praeſertim Calvinianorum teſtimonia, quibus pleraeque illorum haereſes confutantur collecta a Paganino Gaudentio ſacr. Theol. Doct. Romae typis Franciſci Corbelletti 1625. in 8.

..... Pars altera Romae apud eumdem 1626.

Paganini Gaudentii S. Theol. Doct. & Protonot. Apoſt. adverſus Danielis Chamieri Panſtratiam velitationum Pars I. Romae typis Franciſci Corbelletti 1627. in 8. parvo.

Ad Diſſertationem Academicam de Cauponibus Famae Appendix. Romae 1628. in 8.

Excurſio duplex I. in obitum V. cl. Hieronymi Aleandri II. Politico-litteraria. Piſis 1629. in 8.

Paganini Gaudentii &c. Declamationes VIII. extra ordinem habitae an. 1629. Florentiae apud Simonem Ciottum 1630. in 4. *Sunt autem hujusmodi*: I. de ratione conſequendi eloquentiam per multiplicem uſum in vita civili. II. de nobilitate. III. de Jubilaeo. IV. de cauſſis ruinae Imperii Romani V. de praeſidiis memoriae VI. de triplici catena. VII. de augmento magnorum Imperiorum VIII. de triplici mutatione rerum Romanorum.

Expoſitionum juridicarum libri duo, quibus etiam Tacito, Svetonio aliiſque lux conciliatur cum additamento critico, auctore Paganino Gaudentio in Gymn. Pis. Juris civilis interprete, Florentiae

ex typographia Sermartelliana 1631. in 8. *Coepit Paganinus res civiles tractare, poſtquam an. 1630. ut ipſe ait*, explicatione Feudorum extra ordinem honeſtatus eſt. *Magnam in eo ſane laudem meretur, quod & voce & ſcriptis docebat diſcipulos ſuos, neceſſariam eſſe notitiam Romanae antiquitatis ad Juris prudentiam aſſequendam.*

Conſiderazioni Accademiche, Firenze 1631. in 8.

Della Peſte diſcorſo Accademico, Firenze 1631. in 4. *De peſte etiam, quae fuit magna an. 1630. carmen ſcripſit, inde ſumens carminis argumentum, quod ſparſus fuerat rumor ſe illa obiiſſe.*

De Illuſtriſſimo & Rever. Juliano Archiepiſcopo Piſarum, Sardiniae & Corſicae Primate, & de Ill. Joanne Marco S. Angeli Raphaelis Medicis filiis fratribus germanis, Piſis 1631. in 4.

La Fortuna pentita, ottave di Paganino Gaudentio nell'Accademia de' Diſuniti, Piſa 1633. in 4.

Origine di Piſa. Ottave di Pag. Gaud. Piſa 1634. in 4.

Contraddizione morale intorno al ſoſpetto. Diſcorſo nella morte del già Generaliſſimo Valſtein. Piſa 1634.

Orazione funebre in lode del Dot. Cammillo Accarigi Seneſe, Lettor delle pandette nello ſtudio di Piſa. Piſa 1634. in 4.

Orationes XIV. Piſis apud Franciſcum de Dotibus 1634.

Confini regolati, Eſercitazione iſtorica e politica. In

Piſa per Franceſco Tanagli &c. 1634. in 4. *Plura hoc loco de Deo Termino exponuntur.*

Rerum Germanicarum converſio an. 1633. mense Octobri, Ratisbona capta & recepta. Florentiae 1635. in 4.

Accademia Diſunita del Dot. Paganino Gaudentio pubblico Profeſſor di Politica ed Iſtoria nello ſtudio di Piſa. In Piſa appreſſo Franceſco Tanagli 1635. in 4. *Tum erat Piſis Academia, cui nomen* Diſunita, *quam cum frequentaret Paganinus, dixit in ea, quae in hoc libro continentur, diſſertationes, quarum aliae ad philoſophiam, aliae ad ethicam, aliae ad antiquitatem, aliae ad poeſin, & aliae ad hiſtoriam pertinent. Ex his apparet ſe exercuiſſe in Etruſca lingua ſcribenda, & volutaſſe ſcriptores, qui in ea excellere putabantur. Anno 1644. vulgavit aliud opus, cui titulus* L' Accreſcimento dell' Accademia Diſunita.

De Juſtinianei ſaeculi moribus nonnullis liber, Florentiae typis novis Amatoris Maſſae & Soc. 1637. in 4. *Editus iterum fuit Argentorati 1654.* in 8. *cum Diſſertatione Auctoris* de ſucceſſione foeminarum.

Chartae Palantes, in quibus Oratoria & Poetica ſic exercetur, ut multiplex rerum cognitio exhibeatur a Paganino Gaudentio I. C. publico eloquentiae Profeſſore. Florentiae typis novis Amatoris Maſsae & ſoc. 1638. in 4. *Sunt varii argumenti Diſſertationes, quarum hic eſt index.*

Digitized by Google

I. An S. Marcus Evangelium ſcripſerit Latine ? Salmaſii aliorumque confirmat ſententiam, qui affirmarunt Evangelium ſecundum Marcum Romana lingua ſcriptum fuiſſe.

II. Narrationes de rerum Germanicarum converſione An. 1633. menſ. Octob de Ratisbona expugnata, de eadem recuperata.

III. De renovandis ſtudiis Praefatio in Gymnaſio Piſano recitata in magna Aula an. 1630. kal. nov. cum contagio laceſſeret urbem.

IV. De Epidauro Liburniae & Peloponnenſi, de Raguſio & Raguſina Republica Diſſertatio. *Exaraverat carmen in obitum Thomae Celleſii Archiepiſcopi Raguſini, atque hinc occaſionem ſumpſit de Epidauro diſſerendi. Probare nititur Liburnicam veterum Epidaurum eſſe Raguſium. In Peloponneso quoque duas fuiſſe Epidauros probat.*

V. In natalem Magni Etruriae Ducis Ferdinandi II. qui incidit in Feſtum S. Bonaventurae narratio an. 1630.

VI. Ferdinandus Intrepidus, ſive de praeſentia Magni Ducis cum Florentiae gliſceret peſtis. Dictio lecta Piſis inter amicos. *Quaeritur praecipue, an ſaeviente contagione deceat Principem degere & manere in primaria urbe, ſive metropoli.*

VII. Docti laboris defenſio, oratio habita Piſis in inſtauratione ſtudiorum an. 1632.

VIII. Luctus Academicus, ſive oratio in funere religioſiſſimi viri Henrici Antonii Burgi Novoca-

ſtrenſis Ord. Serv. B. V. Generalis, & Theologiae in celeberrimo Gymnaſio Piſano Profeſſoris eximii, habita Piſis in Aede S. Antonii Ord. Serv.

IX. De barbarie depellenda, Oratio habita in majori auditorio kal. Novembris 1633.

X. Praeſens diſceſſus, Gratulatio cum Antonius Curinus Eques, juris Civilis in Gymnaſio Piſano ordinarius Profeſſor, nunc vero ampliſſimus Auditor Camerae Fiſcalis Magni Ducis Conſiliarius renuntiatus fuiſſet.

XI. De Eminentiſſimo Card. Oreggi dignitate ad ipſum gratulatio.

XII. In laudem Johannis Caroli Coppolae eximii poetae excurſus.

XIII. De Platonica Academia Sereniſſimi Principis Leopoldi ab Etruria Nuncius allatus Cal. Nov. in magna Aula celeberrimi Gymnaſii Piſani.

XIV. De gloria Gymnaſii Piſani Oratio habita Cal. Novemb. 1636.

XV. Carmina varia.

De diſceſſu Margaritae Coſtae Roma, Elegia, Florentiae 1638. in 4. *Extat haec, ut & extemporalis converſio ejusdem in Italicam poeſin facta, ut ait, per ludum in* Galleria del Marino.

De Prodigiorum ſignificatione liber Paganini Gaudentii Theol. & I. C. in Gymnaſio Piſano e prima ſede eloquentiam profitentis. Florentiae typis novis Amatoris Maſſae & Soc. 1638. in 8

Obſtetrix litteraria, ſive de componendis & evulgandis libris Diſſertationes & epigrammata nova; Florentiae apud eumdem 1638. in 4. *Conſtat liber Diſſertationibus XI. quarum haec sunt argumenta.*

I. De litterarum emolumento.

II. De calore extemporali.

III. De diuturna meditatione.

IV De conſanguinitate diſciplinarum.

V. De obſcuritate in ſcribendo.

VI. De exquirendo amicorum judicio.

VII. De magnorum virorum imitatione

VIII. De recitatorum quorumdam conſuetudine apud Romanos.

IX. De fructu ex recitationibus colligendo.

X. De librorum jam editorum retractatione.

XI. Inepti libri quomodo ſupprimantur.

Epigrammata nova. Florentiae &c. in 4.

Academicum inſtar, in quo ex multigena diſciplina non pauca ſtrictim enarrantur a Paganino &c. varia carmina de iisdem aut ſimilibus argumentis inſeruntur. Florentiae &c. 1639. in 4. *Quae in hoc libro continentur omnia fere Piſis dixerat. En indicem eorum.*

I. In obitu Sereniſſimae Mariae Magdalenae Magnae Ducis Etruriae, Archiducis Auſtriae allocutio.

II. De eruditione cum doctrina conjungenda.

III. De diligentia veterum in excolendis diſciplinis, Oratio habita Piſis 1634.

IV. De promptitudine Profeſſoria, Proluſio umbratica.

V. De librorum delectu, Scholaſtica dictio.

VI. De cauſſis immutatae Juris prudentiae, Recitatio ad juris ſtudioſos.

VII. Pro Juſtiniano Imperatore Expoſtulatio.

VIII. De laudibus Germanici Caeſaris, Diſſertatiuncula.

IX. In quaedam dicta Salluſtii philoſophi ſpecie repugnantia, Declamatoria animadverſio.

X. De Juris Romani circuitu, Enarratio.

XI. An Imperator ſit Dominus totius mundi?

XII. De origine Feudorum a Longobardis repetenda.

XIII. De Mariniana poeſi apologetica Oratio.

XIV. De vario oculorum motu Diſſertatio.

XV. De paranda eloquentia.

XVI. De ortu & interitu nobilitatis.

XVII. De praeſidiis memoriae.

XVIII. De Jubilaeo.

XIX. Catena triplex Homerica, Paulina & Herculea

XX. De tribus mutationibus rerum Romanarum.

XXI. De inclinatione Imperii Romani.

XXII. De augmento Imperiorum.

XXIII. De cognoſcendis ſaeculorum vitiis.

XXIV. De irritamentis ſenſuum.

XXV. De admirandis fluviorum.

XXVI. De pace Italiae an. 1631.

XXVII. Latina carmina

Ad antiquitates Etruſcas, quas Volaterrae nuper dederunt, obſervationes, in quibus diſquiſitionis Aſtronomicae de Etruſcarum antiquitatum fragmentis auctor quoque notatur. Amſtelod. 1639. *Sunt qui tribuunt Gaudentio opus quod inſcribitur*

Bennonis Durkhundurki Slavi, Academici Sepulti epiſtola pro antiquitatibus Etruſcis Inghiramiis adverſus Leonis Allatii contra eaſdem animadverſiones Examen. Coloniae 1642.

Dell' anno ſecolare ſolennemente celebrato in Roma da' PP. della Compagnia di Gesù nell' an. 1639. Lettera di Ventidio Gongazano Gentiluomo e Accademico Ricovrato di Padova in 8.

De Evulgatis Romani Imperii arcanis, iis praecipue, quae ad electionem & ſucceſſionem Imperatorum faciunt, Digreſſio habita Piſis an. 1640 in magna Aula a Paganino &c. cum interpretaretur Tacitum. Florentiae typis Amatoris Maſſae & Laurentii de Landis 1640. Accedunt Diſſertationes I. de Funere Heroum. II. de Funere Caeſarum. III. La ſingolarità delle Guerre di Germania. *Extant etiam in hoc libro*, Diatriba de heroica praeſtantia Jul. Caeſaris Scaligeri, in qua quaeritur I. An Scaliger ediderit de vita ſua epiſtolam? II. An ſi eam edidiſſet foret culpandus? III. An inter Senatorii ordinis homines ſit recenſendus? IV. An Heros cenſendus? V. An & quatenus cum Maſſiniſſa & Xenophonte comparari queat? Diatriba hiſtorica de Caeſare Cremoni-

no, Julio Pacio, & Joanne Barclajo, & Diſſertatio de Scriptoribus a Politices ſtudioſis legendis. *Quae ipſe dixit de Platone, de Thucydide, de Polybio, de Plutarcho, de Tacito, de Bodino, de Arniſaeo, de Launovio, de Lipſio, de Bentivolo, aliiſque, ſapientem illum fuiſſe exiſtimatorem alienorum operum declarant.*

De comparatione Dogmatum Origenis cum Philoſophia Platonis, & Salebrae Tertullianeae, quas complanare conatus eſt Paganinus Gaudentius. De vita Chriſtianorum ante tempora Conſtantini. Florentiae typis Amatoris Maſſae & Soc. 1641. in 4. *Non levia & inerudita retulit Paganinus de illis, quos commemoravimus, Scriptoribus. Egit quoque accurate de damnatione Origenis facta in V. & VI. Synodo, & reprehendit Picum Mirandulanum & quosdam Pariſienses theologos, qui auſi fuerant illum a culpa haereſeos defendere. Laudat illud Juſtiniani Imperatoris dictum.* Quid aliud expoſuit Origenes, quam Platonis, qui Paganorum inſaniam dilatarat, doctrinam? Etſi autem *(inquit Paganinus)* in multis ſenſerit cum Platone Origenes, non tamen voluit videri ſua dogmata a Platone hauſiſſe. Depromebat ex ſacra ſcriptura dicta, quibus ſuas muniret ſententias; Hinc adeo factum, ut cum Platonicis opinionibus conjunxerit ea, de quibus Plato ne quidem ſomniando cogitavit. *Non ſibi vero inſolenter gloriari videbatur Paganinus, quod primus ſenſus quosdam Ter-*

tulliani obſcuros explicaverit. Pauca quae tum in lucem protulit veluti ex naufragio quodam erepta fuerunt. Ait enim magnum ſe feciſſe, dum in Rhaetia erat, ſcriptorum ſuorum detrimentum, & inter caetera ſurreptas ſibi fuiſſe a furenti populo laborioſas enarrationes, quas in totum prope Tertullianum fecerat. Multa & paraverat de Conciliis, quae non edidit.

De Pythagorea Animarum tranſmigratione opuſculum: accedunt exercitationes I. de Ariſtoteleo veterum contemptu, II. de Juliani Imperatoris philoſophia, III. de Aperipato Julii Caeſaris Scaligeri. IV. Reintegrazione de' Poeti oppoſta a Platone. Piſis typis Amatoris Maſſae & Laurentii de Landis 1641. in 4. *Extat etiam in hoc libro.* Diſcorſo ſe l'anno del 1640. chiamar ſi deva fortunato o fortunevole. *Ex eo liquet quantum aſtrologiae tribueret Paganinus.*

Di Cleopatra Regina d' Egitto la vita conſiderata da Paganino Gaudentio, e poi dall' iſteſſo riletta con non piccola varietà di coſe tanto moderne quanto antiche, in Piſa 1642. nella ſtamperia di Amador Maſſa e Lorenzo Landi in 4.

De Philoſophiae apud Romanos initio & progreſſu Paganini Gaudentii volumen, in quo praeter hiſtoriam multa ad contemplationem rerum & diſſidentes veterum ſapientum ſcholas facientia enarrantur. Piſis typis Amatoris Maſſae & Laurentii de Landis 1643. in 4. *Hic liber a nonnullis di-*

citur rariſſimus, & praeferri videtur ceteris Paganini operibus. Hujus epitomen extat in Tom, III. Obſervationum ſelectarum, qui editus eſt Halae 1703.

Della Peregrinazione Filoſofica, in Piſa, 1644. preſſo Amador Maſſa e Lor. Landi

De Errore Labyrintheo Sectariorum hujus temporis. Conatus in Geneſim divinam novus. De philoſophicis opinionibus veterum Eccleſiae Patrum Opuſcula tria, Piſis apud eosdem 1644.

La vita d'Aleſſandro il Grande in Piſa &c. 1645.

Diatribae ad Famianeam hiſtoriam & in Tacitum. Piſis ex typographia Philippi Papinii 1646. in 4. *Inſcripſit etiam hoc opus* de Candore Politico.

De' non fauſti ſegni dell'anno 1646. Della felicità dell' anno 1647. Diſcorſi.

Del ſeguitar la corte o no, Operetta, in Piſa 1647.

Della morte di S. Giovanni Evangeliſta diſcorſi due recitati nell'Accademia Helicea di Piſa. In Piſa 1647.

Galeazzo Tirrene; Acclamazione al Ser. Gran Duca di Toſcana Ferdinando II.

La Galleria dell'inclito Marino conſiderata vien dal Paganino con alcune compoſizioni dell'iſteſſo Paganino. In Piſa per Ferdinando Chelli e Franceſco Stefanelli 1648. in 8. *Saepe corrigit Marinium, quem aut male, aut non ſatis prudenter judicaſſe putabat in ſua pinacotheca de quibusdam viris doctrina excellentibus. Addidit libro binas funebres orationes, quarum altera Latina eſt in obitum Hierony-*

mi Aleandri, altera Italice in morte di Camillo Accarigi, *nec non varia Italica carmina.*

Vereor ne quid mihi effugerit in ſignandis Paganini operibus. Optare ſe ajebat Chr. Thomaſius, ut ſcripta hominis eruditione ſumma conjunctim ederentur (Specimen Juris Prudentiae Univerſalis pag. 107.) *quod ad laudem illius, quamquam alii aliter judicent, ſane non mediocriter facit. Multa & paraverat ad illuſtrandum Lucretium, Martialem aliosque Latinos poetas, Dantem etiam, quae ſe editurum ſpoponderat, quod tamen minime praeſtitit. Sunt qui narrant Ferdinandum II. ut facilius quae paraverat ipſe edere poſſet, poteſtatem ei dediſſe domeſtici typographii. Nihil ſane non ei indulſit Princeps litteratorum omnium fautor eximius.*

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

JO. ALEXANDRO BRAMBILLAE
VINDOBONENSIS ACADEMIAE MEDICO-
CHIRURGICAE PRAESIDI.

S. P. D.

E*St profecto Italiae noſtrae glorioſum; quod excuſſa jam ſuperiorum ſaeculorum barbarie, ipſa omnium prima optimarum artium vias tradiderit, quodque in ea multi & ingeniis & dicendi & intelligendi laude floruerint, quando ceterae nationes harum rerum omnium rudes atque ignarae eſſe videbantur. Ex quo tempore phyſica ſtudia, quae experientiam ducem & magiſtram ſequuntur, apud nos in honore eſſe coeperunt, nova, ut ita dicam, creata eſt medicina, quae plerumque aegris prodeſſet, nunquam, aut perquam raro noceret. In quam intuenti maxime occurrit & quaſi lucet Etruria noſtra, qua in regione primum*

ſe extulit experimentalis, ut vocatur, philoſophia, primumque etiam monumentis & litteris ejus inventa ſunt coepta mandari; & hoc quaſi gradu quodam jacto ad veram medicinam, ſive illa arte pariatur aliqua, ſive exercitatione quadam, multi, praeeunte omnibus viro prope divino Franciſco Redio, impulſi atque incenſi ſunt ad noſcendam rerum naturalium vim & proprietates, & ad conſulendum vitae hominum paucis, veris, & ſimplicibus remediis. Sunt quaedam artes, quae ſe ipſas per ſe tueantur, ſed medicina pluribus eget, atque has niſi gubernaverit peracris prudentia, quae ratione & experientia debet delectum habere bonorum & malorum, periculum ab iis conſtabitur, a quibus parari ſibi ſubſidia poſſe ſperaverat. Nemo profecto dubitabit, quin chemia, ut unam rem exempli cauſſa ponamus, utilis futura ſit medicinae; nihilo tamen minus multo plures animas illa ſpopondiſſe orco videtur, quam ſanitati redditura ſit aegra corpora, & qui ipſi magnopere confidunt, neſciunt quidem quam paucis, & quam ſimplicibus natura gaudeat remediis. Ea quae compoſita dicun-

tur, ſi perpauca excipias, bene aſſimilaveris furialibus monſtris, quibus ſunt

Nomina mille, mille nocendi artes,

ut non dubium ſit, quin melius ſanitati hominum consultum foret, ſi illa prorſus ignorarentur. Vox quaedam naturae eſſe videtur, quam pauci auſcultant, ut quemadmodum ad valetudinem tuendam praeferenda eſt potus & cibi ſimplicitas, ſic ad amisſam recuperandam potiora haberi debeant ſimplicia, quam compoſita remedia. Poſtquam Hippocrates divino prorſus, quo praeditus erat, ingenio, & obſervatione diuturna notandis rebus medicam fecit artem, aut quod ipſi deerat, explevit, homines novitatis cupidi, quaſi ad majora illos fortuna deſtinaſſet, extraordinariis multiplicibuſque remediis, depravatiſque opinionibus tam bene fundatam artem everterunt, ut nullum amplius naturae lumen in ipſa appareret; quod malum magis quoque crevit, cum eadem in manus Arabum pervenit. Quanto in honore fuerit apud veteres Graecos ſimplicior,

ſeu quod idem eſſe puto, ſalubrior medendi ratio, ex iis Homericis verſibus conjici poteſt, quibus deſcribitur Helena medicamen parans Menelao atque Telemacho ad conſopiendas graves curas, quas illis longa & laborioſa peregrinatio attulerat. Nihil enim illa in Nepenthes infudit, niſi radicem Oenopiae, qua planta in Aegypto a Polydamna Theonis Regis uxore donata fuerat (1). *Contra ea Virgilius, cujus aevo vix ulla erat apud Latinos Graecorum medicinae effigies, dum medicum quemdam nomine Japidem curantem inducit Aeneam, quem ſagitta miſere in pugna ſauciaverat, ait* (2)

. . . . ille retorto
Paeonium in morem ſenior ſuccintus amictu,
Multa manu medica, Phoebique potentibus herbis
Nequidquam trepidat, nequidquam ſpicula dextra
Sollicitat, prenſatque tenaci forcipe ferrum.

(1) Odys. l. IV. v. 221. & ſeq.
(2) Aeneid l. XII. v. 400. & ſeq.

Ex quo homines minus creduli eſſe coeperunt, fateri minime dubitarunt, plura ſe neſcire, quae antea ſe ſcire credebant, & quae putabant prima, in experiendo repudiare, cumque pauca diuturna & conſtanti obſervatione comprobata ſibi ad medicinam faciendam reſervaſſent, illud & cavendum ſibi putarunt, ne quod optimum natura erat, arte aut deterius, aut perverſum fieret. Pleni ſunt Redii libri his monitis atque exemplis, ejuſque voces odioſae iis tantummodo fuerunt, qui dum plurima de narthecio promunt medicamenta, aegrorum animas, ut ajebat Plinius, negotiari velle videntur (1). *Sane quae praeſidia naturae ſapientiſſimus Auctor*

& Mo-

(1) Ex multis unum afferemus Redii dictum in epiſtola quadam ad amicum. *La noſtra natura gode della ſemplicità delle coſe, ed abboriſce quei tanti meſcugli di medicamenti, che da' Greci dopo il ſecolo d'Ipocrate, e dagli Arabi più ſuperſtizioſi de' Greci furono inventati per acquiſtarſi venerazione preſſo la credula ed ignorante gente.*

& Moderator nobis paravit vel ad tutandam, vel ad recuperandam valetudinem, ſimpliciter & ex ſua vi adhiberi debent, & qui illa ex diſſimilibus rebus miſceri & temperari praecipiunt, non ſolum veteres non ſanabunt morbos, ſed etiam novos eoſque triſtiores excitabunt. Neque opponat quiſpiam ſimplicia remedia non omni prorſus noxa carere, ac propterea aliarum rerum commixtione emendanda. Eſto. Verum quoties id fieri neceſſe erit, etiam atque etiam videre debet prudens & cautus medicus, ne quid addat, quod aut vim extenuet, aut nimium augeat ſimplicis remedii, & prorſus abſtinebit ab iis, quae non habent inter ſe quamdam, ut ita dicam, cognationem naturae. Vetus haec opinio in multa ſaecula opplevit medicinae ſcholas, opii, quo nullum frigidius eſſe medicamentum putabatur, narcoticam vim, calidiorum aromatum permixtione emendari, & alia hujusmodi plura ridicula ſententioſe praecipiebantur, quae recentior medicina bono omnium exploſit. Quid etiam de illis ſolutionibus chemicis dicendum? Meminerint qui talia amant, ab Helmontio ignem rerum corru-

ptorem appellari, & bene & prudenter allatam a Plinio quaeſtionem fuiſſe (1) num ignis plura abſumat, an pariat, & aliud eſſe quod primis ignibus, aliud quod ſecundis, aliud quod tertiis gignit? *Nolo hac in re pluribus immorari, ne ad te ſcribens, qui arte medendi excellis, videar, quod erat in veteri proverbio, ſus Minervam docere. Nonnulla tamen leviter tangere de innocentia, ut ita loquar, medicinae, & de impudentia illorum, qui ſcelerate illam contaminare adlaborant, opportuniſſimum judicavi, cum de Ramazzinio ſcribendum ſuſcepiſſem, viro ſane cum paucis calliditate & prudentia in Hippocratica medicina excolenda comparando. Memini, dum Vindobonae elapſo anno eſſem, quam ſaepe abs te audierim ſapientiſſimi hominis laudes, neque illa in poſtremis fuit, cum ajebas te illa ſequi, dum valetudini conſulis omnium maximi Regis, qui tuae prudentiae unice confidere videtur, quae ipſe in aureo-*

(1) Lib. III. cap. ult.

lo ſane libello de Principum valetudine tuenda propoſuit. Ex illo tempore mihi in mentem venit ejuſdem vitam Latinis litteris mandandi, eique nomen tuum inſcribendi, tum ad operis ornamentum & decus, tum ad declarandum animum erga te meum gratum & benevolum. Accipe igitur, qua ſoles humanitate, levidenſe munuſculum, meque ut facis ama.

Piſis XV. *Kal. Martias* MDCCLXXXIX.

Digitized by Google

Bernardinus Ramazzinius.

Bernardinus Ramazzinius Carpi, in regionis Ciſpadanae civitate, quae eſt in Mutinenſium Ducum ditione, ortum habuit Non. Novembris an. MDCXXXIII. honeſtiſſimis parentibus Bartholomaeo Ramazzinio, & Catharina Federzonia. A Jeſuitis tum Carpi, tum Parmae inſtitutus fuit, prout illa ferebant tempora, humanioribus litteris atque philoſophia. Grandior factus inſolentiam temeritatemque diſputationum, & inſulſitatem ac vaniſſimum ſtrepitum verborum ac ſententiarum, tanquam inſanias quaſdam odiſſe coepit, & ſive ſoluta, ſive numeris adſtricta oratione ſcriberet, reſpiciebat veteres dicendi magiſtros, quorum elegantiam ſi minus imitatione exprimere poterat, voluntate certe conſequebatur. Cum aliquandiu incertus fuiſſet quam praeſertim artem profiteretur, tandem medicinae ſe dedere decrevit, cujus ſcientiae inſignibus an. MDCLIX. Parmae decoratus eſt. Poſt id Romam venit, & in diſciplinam traditus Antonio Mariae Ru-

beo Ravennatenſi, qui medico & hiſtorico illuſtri genitus medicus & ipſe haud ignobilis erat, non mediocriter ſub ipſo profecit. Hujus vero conſilio & commendatione exercendae medicinae cauſſa accitus fuit a civibus Canini & Martae, quae oppida ſunt in Caſtrenſi Ducatu; ſed qui ceteris mederi didicerat, haud potuit ſibi, quippe ex diuturna quartana regium morbum contraxerat, utque valetudinem recuperaret ad Carpenſes ſuos rediit. Cum melius ſe habere coepiſſet, in matrimonium duxit Franciſcam Richiam antiquo inter ſuos genere natam, ex quo connubio pleno concordiae, genitus eſt filius, qui octimeſtris obiit, & binae filiae quae patri minime ſuperſtites fuerunt. Nobilis jam erat medicus, cum prudentia non ſolum, sed etiam felicitas quaedam ejus curationibus faveret, & hac fama, & commendatione Alphonſi Molzae Marchionis vocatus eſt Mutinam ad publice docendam medicinam. Nam per illa tempora Franciſcus II. illius civitatis Dux novum in ipſa inſtituerat Lyceum. Ibi plures ſuarum laudum & aemulos & invidos nactus eſt Ramazzinius; & ex eo etiam nonnullam

habebat invidiam, quod promptus & non inexercitatus erat ad pangenda carmina. Id enim decorum eſſe ajebat illius Numinis cultoribus, qui medicinae & poeſis inventor dicitur. Et cum magnum aliquid ſe jam tentare poſſe arbitraretur, argumentum ſumpſit a bello, quod Ludovicus XIV. Gallorum Rex moverat Siculis & Batavis, ut ejus laudes caneret tum Latinis tum Italicis carminibus. Verum Latina carmina quaſi vermiculatum opus dixeris, cum ea ex Virgilio, diligenter ſane, compoſuerit, unde *Centonem* ipſa appellavit. Non inepti poetae libellum judicavit Ludovicus, & fertur illum regali dono remunerari auctorem juſſiſſe, quod tamen ad ejus manus, quo fato neſcio, minime pervenit. Laudavit & Italicis carminibus Margaritam Farneſiam Ateſtinam, quae publica luce digna putavit, & quoad vixit cum muſis commercium habere voluit. Cujus rei praeſertim indicia dabat in conventibus Mutinenſis Academiae, cui Diſſonantium nomen erat, quaeque ad excolendas humaniores litteras inſtituta fuerat. Tum quidem non mediocris tribuebatur laus illius poeſi, eloquentiae item, ſed ex multis, quas

ha-

habuit orationibus, ſi unam excipias dictam in ſolemni Mutinenſis Academiae inſtauratione, illae tantummodo extant, quas Patavii recitavit, cum in illius civitatis Gymnaſio Magiſtri munere ſungeretur. Verum ipſe magnam famam exiſtimationemque, immo nominis immortalitatem a Medicina habuit, in cujus exercitationibus commentationibuſque ita verſabatur, ut odoraretur ſemper aliquid novi, quo illam ornaret. Potuit interdum falli ut homo; attamen ex ſcriptis, quae pro ſe edidit, cum aut ab Hannibale Cervio, aut ab Andrea Monelia medico Florentino inſimulatus fuit ſuis curationibus mortem attuliſſe binis feminis, quarum altera pleuritide, altera partu laboraverat, cognoſci poterit, nihil non egiſſe aut conſuluiſſe, cujus probabilem rationem reddere non potuerit. Illa vero diſputatio cum Monelia, quae triennium uſque duravit, multis hinc atque illinc emiſſis ſcriptis (nihil enim erat Monelia petulantius) quaque contendebat Ramazzinius arte haud extrahendam ſecundinam, etiam cum cito illam natura non emiſerit, non ſolum probabilis, ſed etiam vera doctioribus medicis nunc videtur. A cu-

ra harum concertationum ſolutus Ramazzinius practicam medicinam ſtudioſius excoluit; ſic vero aderat diſcipulis ſuis, ut non ſolum artem medendi ab ipſo diſcerent, ſed etiam illam exornandi multarum diſciplinarum ſubſidiis. Callebat enim philoſophiam & chemiam, in naturali hiſtoria ſe exercuerat, doctus erat Latinis litteris, & quantum medico ſatis eſt, etiam Graecis, multa legerat atque audierat, retinebatque memoria ſingulari, quae vero ipſe tradebat, condiebat non ſolum elegantia orationis, ſed ſaepe etiam ſalibus, poetarum ſententiis, & hiſtoricorum narrationibus, ſic ut ejus ſermone nihil poſſet eſſe jucundius. Quare minime eſt mirandum, ſi magna ad eum multitudo diſcipulorum concurrebat, quam ut ejus collegae pati poſſent. In arte vero medica exercenda cum intelligeret magnopere expedire ſimilium morborum cauſſas & remedia exquirere, imitatus exemplum ſummorum virorum Hippocratis & Sydenamii de epidemicis febribus, quae paſſim per Mutinenſem agrum an. MDCXC. vagatae ſunt, ſcribendum ſuſcepit. Opus doctrina praeſtans Antonio Magliabechio inſcripſit, cujus opera factum eſt,

Digitized by Google

ut per Germaniam late diſſeminaretur, tanta quidem commendatione Auctoris, ut in Caeſaream ipſe Academiam, cui Naturae Curioſorum nomen inditum erat, cooptaretur. Hinc additus illi ſtimulus, ut de binis aliis epidemiis, quae conſequentibus annis fuere, & de caeli Mutinenſis conſtitutione per illa tempora diſsereret, acute ſane & docte, tantoque plauſu non Italorum modo, ſed etiam exterorum, ut inter ſalutaris artis antiſtites jam numerari coeperit. Ex quo factum eſt, ut nemo clarus vir Mutinam accederet, qui eum videre & alloqui, & amicitiam cum ipſo jungere non cuperet; e quibus Guilelmus Leibnitius, cum duos menſes in illa urbe fuiſſet conquirendi causſa monumenta, quae ad hiſtoriam pertinerent Ateſtinae & Brusvicenſis familiae (una enim eademque gens eſſe putatur) nullum diem abire ſiverit, quo non ad plures horas cum Ramazzinio familiariter verſaretur. Tum hic in manibus habebat librum de fontibus Mutinenſibus, quem paullo poſt, ipſo & hortante Leibnitio, emiſit. Illius epitomen & laudes tum in Actis eruditorum Lipſienſium, tum in Diario, ut appellatur, Italico Montisſauconii invenies.

Vix dum etiam ille ad Britannos pervenit, cum in Anglicam linguam translatus & Londini recuſus fuit. Cui rei cauſſam praeſertim dediſſe reor quae Ramazzinius attulit ad convellenda dogmata, ſeu potius ſomnia Thomae Burnetii *de telluris theoria*. Nova enim illa non eſſe, ut hic glorioſe nimium jactabat, probat, cum non aliter ſenſiſſe veteres Abyſſini videantur. Narratur enim in Aethiopiae annalibus, poſtquam homines ſuperbia elati a majorum bonitate deflexere, Deos iratos terram adeo concuſſiſſe, ut major illius pars intra proprias cavernas deſcderit; hoc pacto aquam in latebroſis receſſibus concluſam violenter expreſſam fuiſſe, atque ita fontes, flumina, lacus, & mare ipſum ortum duxiſſe; eam vero terrae partem, quae intra has cavernas non decidiſſet, ſed reliqua elatior ſtetiſſet, montium formam exhibuiſſe; inſulas & ſcopulos medio in mari nil aliud eſſe, niſi ſegmenta terrae cavernoſae ab illo totius terrenae molis praecipiti caſu ſuperſtitis. Hujus narrationis teſtimonium ſumpſit Ramazzinius a Franciſco Patritio, qui, edito Italico libro an. MDLII. de Antiquorum Rhetorica, aperte affirmat Balthaſ-

ſarem Caſtilionem, dum in Hiſpania erat, illam rem accepiſſe a graviſſimo ac ſapienti quodam viro Abyſſino. Ceterum quod ad fontes Mutinenſes ſpectat, mirum omnibus videri debet nullum eſſe locum tum intra urbis moenia, tum extra eamdem ad aliquot paſſuum millia, qui ſi effodiatur, non perennis & puriſſimae aquae magnam vim effundat, & antequam putei penitus effodiantur, ipſa non murmuret. Minime dubitat Ramazzinius e ſublimi aliquo loco aquas iſtas ſubterraneas deſcendere, & continuo ab aliis premi & urgeri, cum ſubito impetu ad altitudinem pedum LXVIII., ſaxa & arenam eructando, erumpant. Horum aliorumque phaenomenorum dum rationem reddere ſtudet, plura affert de prementium fluidorum corporum proprietatibus, ſeque hydroſtaticae ſcientiae litterate peritum oſtendit. Confutat ſententiam illorum, qui tota illa loca ſubterraneo flumine irrigari putant, quod ſi eſſet, illud multorum millium alveum habere deberet, idque incredibile illi videtur. Ipſe autem inclinat ad credendum, mare in illa regione cum apennino, quando ei propius erat, occulta habuiſſe, & nunc

tiam habere commercia, & per fiſtuloſae terrae intervenia aquam deduci & per totum illud ſpatium, in quo & cavernae ſint, extendi, ſic ut, laxatis repagulis ac reſeratis oſtiis, non ſecus ac in aquae ductibus evenit, ipſa in altum reſiliat. Quemadmodum autem horum fontium ortum a mare praeſertim repetit, ita non negat plures alios fontes e pluviis & ſolutis nivibus oriri. Plura alia affert de Mutinenſium aquarum natura, nec dubitat, quin cum a Romanae Reipublicae temporibus tanta ſoli accretio facta fuerit tum in urbe, tum in vicino agro a fluviorum aquis, quantam ipſe ex antiquis ruderibus definit, tandem hi fontes ob novas accretiones deſituri ſint. Multa ſunt in hoc libro praeclara, quae declarant fuiſſe Ramazzinium diligentem naturae obſervatorem; deceptus tamen a philoſophia, quae tum in uſu erat, non omnium phaenomenorum ſatis probabilem rationem reddere potuit, & quam a diluvio repetit varietatem terrae & corporum, quae in excavandis hujuſmodi fontibus reperitur, & ab antiperiſtaſi varietatem caloris in excavatis puteis, cum major ſit hyemali tem-

pore, minor aeſtivo, haud fortaſſe probabunt recentioris philoſophiae cultores. Multa alia obſervatione digna ſuppeditat Mutinenſis ager: ſunt et in eo vulcani, de quibus mentionem facit Plinius, ex iiſque unus fontes habet petrolei. De his diſſeruit Ramazzinius, cum iterum in vulgus edidiſſet Franciſci Arioſti opuſculum de petroleo montis Zibinii, quod hic CCXXXV. ante annos ſcripſerat. Quae ipſe obſervationibus medici ſuis temporibus clariſſimi addenda putavit complexus eſt Latina epiſtola data ad amiciſſimum ſuum Felicem Vialem, in qua non hiſtorici modo & phyſici, ſed etiam medici partes agit. Indicat enim quos ipſe morbos petrolei uſu ſanaverit. Si quis vero erit, qui alia initia, unde concretum ſit petroleum, quique aerem, ut nunc loquuntur, inflammabilem, minime vero bitumen & ſulphur, cauſſam dare vulcanis contenderit, non magnopere repugnabo. Illa potiora putantur, quae Ramazzinius de barometris paullo poſt vulgavit, quaeque ad acutiſſimi phyſici famam illi conficiendam plurimum valuerunt. Principio is barometricas obſervationes quotidie per annum habitas emi-

ſit, ut emendaret ſui aliorumque errorem, qui decepti auctoritate Borellii exiſtimaverant hydrargyrum in barometro, cum ſudum eſt, deprimi, pluvia vero impendente, attolli. Contrarium enim ab experientia conficitur, cujus rei probabilem rationem reddere ſe poſſe ſperavit. Ponit e terra non ſolum vapores, pluviarum materiem, ſed alias multas exhalationes diverſae indolis continuo exurgere aerique miſceri, atque idcirco aerem nitroſis particulis potiſſimum refertum eſſe, ita tamen ut vapores in altiore, ceterae vero exhalationes in inferiore atmosphaerae loco, ut pote craſſiores, natent. Haec autem corpuſcula a pluviis nivibuſque impendentibus ſolvi, ad imum deturbari, & ad terram uſque praecipitari putat, liberatumque iis aerem leviorem effici, atque hydrargyro levius incumbere, atque propterea hunc, pluvio caelo, deſcendere. Qui in hujuſmodi phaenomenis quid electricitas efficiat non vident, magnas profecto laudes Ramazzinio tribuent, quod docuerit quomodo aeri vapores conjungantur, & quanta vis ſit illius in iiſdem ſolvendis. Quae dum proponit, & multis argumentis

explicat, modeſte profitetur ſe fugi vice cotis, & alios acuere voluiſſe, ut vel veriorem, vel ſaltem probabiliorem afferrent rationem & cauſſam. Sunt in binis Ramazzinii opuſculis de Barometris alia de natura aeris, ventorum, pluviarum & nebularum, et de effluviis, quae ad nos uſque a planetis emitti arbitratur, ſed ſingula referre non juvat. Ejus ſententiae defenſores & oppugnatores habuerunt; ex illis eminuit Boccabadatus & Placentinus, ex his Guntherus ac Chriſtophorus Schelamerus, cui poſtea tanquam ſubſidiarius miles acceſſit Samuel Reyerus. Priori ipſe reſpondit, ac demum an. MDCCX., dum Patavii erat uno volumine complexus eſt quidquid de hac diſputatione hinc atque illinc exaratum fuerat. Solitus ipſe de ſuis ſcriptis ſine arrogantia dicere, & quae inſtarent difficultates libere proferre, & contraria argumenta ſic diluere, ut elevaret potius, quam deprimeret adverſariorum auctoritatem atque exiſtimationem, illud facile conſequebatur, ut illos, cum quibus, non contentionis, ſed veritatis cupiditate pugnabat, benevolos ſibi redderet. Nam cum natura illi dederit non

parum humanitatis, nullum eſſe vitae tempus ajebat, in quo non deceret illam exercere. Dum vero illam cognitionem rerum naturalium magnam & difficilem eſſe affirmabat, videbat ne de arte ſua multa promitteret, dumque caſtigabat impudentiam quorumdam, qui vagantur magna cum caterva totis ſcholis praeſidium aegrotis, atque omnibus naturae inveſtigatoribus lumen ingenii ſui porrigentes, ſegnitiem atque inertiam vitabat, & utilitatis magnitudine ad ſummos ſuſcipiendos diſcendi labores impellebatur. Vidiſſes ſaepe illum campos & montes peragrare, viliores officinas ingredi, & artium mechanicarum ſecreta contemplari, & ſi quem ex iis, qui illas exercebant, aegrotum invenisset, interrogabat quae pateretur, & ex qua cauſſa, & quot jam diebus, & quo uteretur victu, & quae eſſent bene valentis corporis exercitationes, & dum illi opitulabatur, ſeponebat multa in rem ſuam, quibus ſalutaris artis praecepta contineri putabat. Tum mirari coepit perpaucos eſſe medicos, qui ſciſcitarentur ab aegroto quam artem exerceret, & quam tractaret materiam, qua in re cum haud leve momentum ad faciendam medicinam eſſe judica-

ret, magnum utiliſſimumque opus, & novitate ipſa praeſtabiliſſimum ſuſcepit, quod *de morbis artificum* inſcripſit. Quinquaginta uſque tria artificum genera fuere materies, in qua ipſe verſatus eſt, & ad unamquamque rem examinandam, quae varios morbos, ſive materia, quae tractatur, ſive corporis motus ſpectentur, afferre poſſunt, tantam adhibuit diligentiam, ut magnum beneficium hominibus & medicinae ipſum tribuiſſe reamur. In quo coficiendo opere dum erat occupatus, Triumviri Patavini Gymnaſii honorificentiſſimis litteris ab eo petierunt, ut operam ſuam eidem Gymnaſio navare vellet. Is aliquandiu ancipiti contentione diſtractus fuit. Multum enim in illo poterat ſuorum Mutinenſium amor; ſed quod maiora eſſe instrumenta ad adipiſcendam ſapientiam Patavii eſſe existimabat, ceſſit illorum invitationibus, & ad eosdem venit ineunte ſaeculo XVIII. practicam medicinam publice traditurus. Orationem, quam habuit in ingreſſu muneris, idcirco ſaecularem appellavit, quod in ipſa recenſuit quanta ex nobiliſſimis inventis tum anatomicis, tum phyſicis, tum ex tribus illis regnis, in quae dividi ſolet historia naturalis, fa-

eta fuerit anteacto ſaeculo acceſſio ad medicinam. Romani carmine ſaeculari celebrabant fortunam aeternae Urbis, eamque Palatino Apollini commendabant; Ramazzinius oratione fortunam celebravit medicinae, ad cujus ſubſidium, decus atque ornamentum tot inventa ſunt unius ſaeculi curriculo, ut nullum ipſa fortunatius habuiſſe videatur. Tum enim, ut de ceteris ſileam, innotuere ſanguinis in corporibus animalibus circuitus, abdominis & thoracis vaſa lactifera, veſicularis pulmonum ſtructura, hepatis & lienis glanduloſa compago, vera nervorum origo, varia & copioſa glandularum ſoboles & uſus, vaſorum lymphaticorum valvulae, ductus ſalivales, & illa quaſi quaedam ſocietas & communicatio omnium fluidorum, quae ſunt & moventur in humano corpore. Sane ex hac Ramazzinii oratione intelligi poteſt fuiſſe illum perfecte eruditum in arte, quam profitebatur, legiſſe ſtudioſiſſime veteres Latinos ſcriptores, ac praeſertim poetas, quorum verſus & ſententias ſaepe citat, plurimum ſe exercuiſſe in Latina ſcriptione, quamvis non ſemper puris & electis verbis utatur, & multa inſtrumenta habuiſſe ad eloquentiam, ſi hanc ni-

hil aliud eſſe dicere velimus, quam copioſe loquentem ſapientiam. Verum ſi de illa eloquentia ſermo erit, quae vehemens & volubilis eſt, quae conſtat non ex ſententiis ſolum, sed etiam ex verbis grandioribus, plenis, junctis, fluentibus, propriis, & quae admirationem facit, nec delectat modo, sed & rapit auditores, fruſtra illam requires in Ramazzinii orationibus, quarum tredecim uſque vulgatae ſunt. Sed hanc exigere a medico injuſtum eſſet: bene enim a Cicerone: *A Philoſopho, ſi affert eloquentiam, non aſperner, ſi non habeat, non admodum flagitem*. Verum ſi eloquentiae luminibus carent Ramazzinii orationes, lucet tamen ſemper in iis praeclara eruditio atque doctrina; & illa prudentia & calliditas, ſine qua nulla eſt medicina, quae constat ex diligenti, & diu multumque conſiderata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatione. Hinc ſi quaeras quae ratio fuerit Ramazzinii in medicina facienda, facile cognoſces ex his ipſis orationibus, Hippocraticam, ſimplicem, illam, quae obſequitur naturae, unice per ſe amaſſe, & commendaſſe diſcipulis ſuis. Hos etiam admonebat nil temere agendum, nil negligendum,

Digitized by Google

rationi multum, plurimum vero experientiae tribuendum, recentiorum monita non ſic amplectenda, ne ſuus quoque honos eſſet antiquitati, medicinam multarum diſciplinarum praeſidio & comitatu muniendam atque ſepiendam, eam denique eſſe ejuſdem amplitudinem ac difficultatem, ut nauticae ſcientiae comparare illam ſe poſſe putaret. Nam cum minime ſemper, ut ajebat Aratus,

Signum veniens poterunt praenoſcere nautae,

nec ſemper navis, licet ſcientiſſimo gubernatore utatur, bene conficere poſſit curſum ſuum, cum tempeſtatibus, ventis, procellis, turbinibus inter ſcopulos & ſyrtes feratur, idem evenire ajebat medicinam facienti, cui ſaepe periculum procreatur vel ab eo ipſo, quod in ſubſidium vocare ſe poſſe arbitratur. Nimis longus eſſem ſi omnia orationum, quas habuit Ramazzinius totis iis annis, quibus Patavii medicinam docuit, argumenta, & ſapientiſſima praecepta, quae in iis continentur, recenſere vellem. Per haec quidem ipſe prudentiſſimi doctoris famam apud Patavinos ſuos

obtinuit, celebritatem vero ſermonis abſentium maxime conſecutus eſt ab illis operibus, quae & de morbis Artificum, & de Principum ſalute tuenda conſcripſit. Illud alterum poſtquam Mutinae ediderat an. MDCC. & recuſum jam fuerat Lipſiae, Ultrajecti, & Venetiis, quinto Patavinis typis impreſſit cum corollario de aliorum artificum morbis, & de Virginum Veſtalium ſalute tuenda, in quo non minus accurate expoſuit, quid ad vitanda, aut ſaltem minuenda pericula expediat, quae ſint morborum cauſſae, ſigna ac remedia, ut vere judicaſſe videatur vir doctus Tiſſotius (1) neminem eorum, qui eamdem rem poſtea tractarunt, Ramazzinii gloriam aequaſſe. Laudavit & Hallerius alterum, quem commemoravimus, libellum, quem ſimplicem, facilem, verum dixit, ſic ut omnes, qui Principum valetudini conſulere debent obſervatione maxime earum rerum, quae prodeſſe et obeſſe iis ſolent, nunquam illum de manibus deponere

---

(1) In Praef. ad librum, cui titulus: *Eſſai ſur les maladies des Gens du Monde*.

deberent. Omnia, quae ſunt in diverſis vitae ſtatibus, bene noviſſe Ramazzinium & ad artem ſuam retuliſſe facile ex his ſcriptis conjici poterit. Quapropter quantum ei tribuendum ſit, ſtatuent illi, qui non ignorant quantae artis, quantique laboris ſit morborum cauſſas indagare, & hypotheſes in his aſſignandis vitare. Etſi autem medici gravioribus morbis periculoſas curationes & ancipites interdum adhibere cogantur, abfuit tamen ſemper Ramazzinius a temeritate ac audacia, & peccare potius in eam partem volebat, quae eſt cautior, quam in illam, quae eſt audacior. Quapropter ſe felicem & beatum fore dicebat, ſi ſua cauſſa nulla domus pullam veſtem indueret. Tam cautus erat medicus, ut aliquando ei ſuſpectus fuerit Peruviani corticis uſus, qua de cauſſa a Tortio, qui illius ſemper laudator, ſemper auctor fuit, graviter inſimulatus eſt. Verum ille non uſum, ſed abuſum hujus medicamenti improbabat, qua de re Diſſertationem ſcripſit. Quanta vero vis ejus eſſet in ſanandis quibuſdam febribus, praeſertim tertianis, & vel iis, quae peſtilentiam comitantur, non uno in loco ſuorum operum expoſuit. Abuti quibuſdam re-

remediis

mediis ad libidinem uſque imperitiae cujuſdam eſſe dicebat Ramazzinius, & vel eos medicos caſtigabat, qui abutuntur aqua in febribus, qua de re, ſi fides Cinellio (1), opus inchoavit, quod tamen minime abſolvit. Id quod nullo non in morbo, nulloque non in tempore utiliſſimum esse judicabat, erat sobrietas in victu, de qua nonnulla exaravit, cum ad ea, quae vulgaverat vir nobilitate generis & doctrina praeſtans Ludovicus Cornelius *de vita ſobria*, cumulum addidisset commendationis ſuae. Nihilo tamen minus commodiſſimum est laxas habere ſobrietatis habenas, quas vel adducas, cum opus erit, vel remittas. Conſulendus eſt enim ſtomachus, quid ferre recuſet, quid valeat, dandum eſt etiam aliquid conſuetudini, aetati, loco & temperamento, & ut recte monebat Celſus, *qui ſanus & ſuae ſpontis eſt, nullis ſe debet obligare legibus* praeter quam illa, quae vetat nimio & inſalubri cibo ſtomachum

(1) Bibliot. vol. Tom. IV.

onerare. Haec & probare videtur Ramazzinius ipſe in ſuis *adnotationibus* in Cornelii librum, quanquam mirificus eſſet temperantiae laudator. Cetera, quae poſt haec ſcripſit, cum eſſet jam ſumma ſenectute, nec bona valetudine (nunquam enim in otio hebeſcere & languere voluit) pertinent ab bubuli gregis peſtem, quae e Dalmatia advecta miſere Patavinum agrum aliaſque regiones vexavit, & ad contagioſas febres, quae magnas ſtrages hominum faciebant in univerſa prope Germania. Vel antequam haec ederet, tanquam ſenex athleta rudem reſpicere & patriam cogitare coepit. Id non tulerunt Triumviri Gymnaſii Patavini, cujus maximum ornamentum eſſe dicebant hominem, qui ſummae doctrinae decus omne virtutis jungebat. Itaque an. MDCCIX. a ſecunda ad principem medicinae cathedram, qua ſponte ſe abdicaverat Franciſcus Spoletus, eumdem evexere, aſſignato illi ſtipendio DCCL. florenorum cum honorificentiſſimo decreto, ut ſuo ipſe arbitratu, ſuaque voluntate hoc munus coleret. Ad cetera enim valetudinis incommoda accedebat ut caecus eſſet, quam calamitatem patientiſ-

fine tulit; quamvis homini, qui omnem ſuae vitae curſum in labore confecerat, illa eſſet moleſtiſſima. Laborabat etiam ex cordis palpitationibus, a quibus ſemel atque iterum in vitae diſcrimen adductus fuerat. Quo in ſtatu cum eſſet, tam aberat ab inerti, ignava, & ſomniculoſa ſenectute, ut ſemper aliquid dictaret, aureſque optimorum librorum lectione recrearet. Saepe enim illi in ore eſſe ſolebat illud Celſi: *ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit*. Et vires quidem animi tum adeo firmae erant in eo, ut adoleſcentiam minime requireret. Ex ſuo munere, ſuiſque ſcriptis & curationibus quo plus gratiae & gloriae, eo minus ad ſuos pervenit opis. Habere enim medicinam quaeſtui indecorum eſſe dicebat; praeter quam quod res domeſticas non admodum curabat. Erat vero diligentiſſimus in diligendis & colendis amicis, in exequendis iis, quae Dei Numini tribuuntur, & in diſcipulis ſuis non ſolum ad medicas res, ſed etiam ad omne officii munus inſtituendis. Dum ſe parabat ad docendum, oppreſſit eum mors, quam attulit apo-

plexis (1) Sepultus eſt in Aede B. Helenae ſine ullo titulo, quem poſtea adjecit ejus fratris filius Bartholomaeus Ramazzinius, qui & vitam cariſſimi patrui declaravit, in qua copiam magis rerum, quam elegantiam laudaveris. Monumentum autem eſt hujuſmodi:

BERNARDINO RAMAZZINO CARPENSI
PHILOSOPHO AC MEDICO
IN MUTINENSI ACADEMIA
PRIMO MEDICINAE THEORICAE PROFESSORI
POSTREMO
IN PATAVINO LYCEO PRACTICAE MEDICINAE
PROFESSORI PRIMARIO
QUI SUMMA LITERARUM JACTURA
OCTOGENARIO MAIOR E VIVIS DECESSIT
NON. NOVEMBRIS AN. SAL. NOSTRAE
MDCCXIV.
INSCRIPTIONEM HANC POSUIT
AMANTISSIMUS EX FRATRE NEPOS
BARTHOLOMAEUS RAMAZZINUS
MEDICINAE DOCTOR.

(1) Vide quae de illius morte & laudibus ſcripſit Morgagnius de ſedibus & cauſis morborum &c. epiſt. III. n. VIII. epiſt. VIII. n. XXIX. ep. IX. n. VIII. ep. XVIII. n. XVI.

Satis de hoc ſummo viro dictum erit, ſi illud addideró unum, quod ſane ad ejus gloriam plurimum facit, vacaſſe ſcholam, quam rexit, annos ferme quatuordecim. Non deerant, qui eam peterent, probabiles medici, ſed, ut ait Facciolatus in libro, quem inſcripſit *Faſti Gymnaſii Patavini*, Triumviri litterarii hoc quoque nomini tanto tribuendum putarunt, ut diu quaereretur, qui pro dignitate ſuccederet.

Digitized by Google

OPERA EDITA.

De Bello Siciliae: Cento ex Virgilio ad invictiſſimum Galliarum Regem Ludovicum XIV. Mutinae apud Demetrium Degni 1677. in 4.

Applauſi feſtivi del Panaro per l'ingreſſo ſolenne in Modena della Ducheſſa Margherita Farneſe d'Eſte dopo la villeggiatura di Saſſuolo, Canzone In Modena; per gli Eredi Caſſiani in fol. ſenza nota d'anno.

Exercitatio Jatropologetica, ſeu Reſponſum ad ſcripturam quandam Exc. Dom. Annibalis Cervii Doct. Med. Mutinae per Caſſianos 1679 in fol.

Relazione di Bernardino Ramazzini ſopra il parto, e morte della Illuſtr. Sig. Marcheſa Martellini Bagneſi con una cenſura dell' Eccell. Sig. Dot. Gio. Andrea Moniglia, e riſpoſta del medeſimo Ramazzini alla detta Scrittura. In Modena per gli Eredi di Viviano Soliani 1681. in fol.

Riſpoſta alla ſeconda Cenſura dell' Eccell. Sig. Dottor Gio. Andrea Moniglia. In Reggio per Proſpero Vedrotti 1681. in fol.

Riſpoſta alla terza Cenſura dell' Eccell. Sig. D. Gio. Andrea Moniglia ſtampata a colonne colla triſpoſta del Sig. Moniglia. In Modena per gli Eredi di Viviano Soliani 1682. in fol.

Riſpoſta alla quarta Cenſura dell' Eccell. Sig. Dott. Gio Andrea Moniglia.

In ſolemni Mutinenſis Academiae Inſtauratione Oratio. Mutinae typ. Haer. Caſſiani 1683. in 4.

De Conſtitutione anni 1690. ac de rurali Epidemia, quae Mutinenſis agri, & vicinarum regionum colonos graviter afflixit, Diſſertatio, ubi quoque rubiginis natura disquiritur, quae fruges & fructus vitiando aliquam caritatem annonae intulit. Mutinae, typ. Haer. Caſſiani 1690 in 4. *Laudi merito datur Ramazzinio, quod inter primos de conſtitutionibus annorum, & de morbis, qui in iis dominati ſunt, ſcripſerit. Primus etiam rubiginis naturam obſervavit, & quamvis ejus obſervationibus plauſerint rerum naturalium inquiſitores, non vidit tamen inter paraſitas, ut dicitur, plantas illam eſſe annumerandam.*

De fontium Mutinenſium admiranda ſcaturigine, Tractatus Phyſico-Hydroſtaticus. Mutinae typ. Soliani 1691. in 4.

De Conſtitutione anni 1691. apud Mutinenſes Diſſertatio. Mutinae apud Haer. Caſſiani 1692 in 4.

De Conſtitutionibus annorum 1692. 1693. 1694. in Mutinenſi Civitate & illius ditione. Mutinae typ. Ant. Capponi & H. Pontiroli 1695. in 4.

Ephemerides Barometricae Mutinenſes an. 1694. una cum diſquiſitione cauſae aſcenſus, & deſcenſus Mercurii in Torricelliana fiſtula juxta diverſum aeris ſtatum. His acceſſere Epiſtolae Exc. DD. Jo. Baptiſtae Boccabadati & Franciſci Torti. Ibid. 1695. in 4.

Ephemerides Barometricae cum diſquiſitione cauſae aſcenſus & deſcenſus Mercurii in Torricelliana fiſtula Mutinae olim editae, nunc Patavii recuſae cum tota controverſia, quam idem (Ramazzinus) habuit cum D. G. C. Schelamero in Kilionenſi Lyceo Med. Prof. Hiſce omnibus jam editis accedit nova Epiſtola ejusdem Ramazzini ad Nob. Virum D. Lucam Schroekium A. N. C. Praeſidem cum ſolutione Problematis ex invento celeberrimi Viri D. Gothofredi Guilielmi Leibnitii. Patavii typ. Jo. Bapt. Conzatti 1710. in 4.

Franciſci Arioſti Libellus de Oleo Montis Zibinii, ſeu de Petroleo agri Mutinenſis libellus M. S. membranis editus ab Oligero Jacobeo. Hafniae 1690. nunc ad fidem Cod. M. S. ex Bibliotheca Eſtenſi recognitus, & recuſus, adjecta ejusdem argumenti Epiſtola Bern. Ramazzini Prof. Mutin. Mutinae; typ. Anton. Capponi 1698. in 12.

De Morbis Artificum. Mutinae per Ant. Capponum 1700. in 8.

Oratio ſaecularis, quam primum habuit in Patavino Athenaeo die 12. Dec. 1700. Venetiis Per Aloyſium Pavin. in 8.

Medicam artem navigatoriae ſimilem eſſe, Oratio habita in Patavino Athenaeo. Mutinae typ. Ant. Capponi 1703. in 8.

Theoricae Medicinae nullum jus eſſe, ut supra Practicam dominium affectet, Oratio ibidem habita. Patavii per Conzattum 1707. in 8.

Digitized by Google

Orationes Variae Jatrici argumenti, quas in Patavino Gymnaſio pro anniverſaria ſtudiorum celebratione habuit Bern. Ramazzini. Ib. 1708. in 8.

Conſtitutio algidiſſima anni 1709. Oratio nona habita Patavii die 13. Maii cum primum primariam practicae Medicinae Cathedram conſcenderet. Patavii ap. Frambottum & Conzattum 1709. in 8.

De Principum valetudine tuenda Commentatio. Patavii ap. Conzattum 1710. in 4.

De contagioſa Epidemia, quae in Patavino agro, & tota ferme Veneta ditione in boves irrepſit, Diſſertatio; Ib. 1712. in 4.

De Morbis Artificum Diatriba, Mutinae olim edita; nunc accedit ſupplementum ejusdem argumenti & Diſſertatio de Sacrarum Virginum valetudine tuenda. Ib. 1713. in 4.

Annotationes in librum Ludovici Cornelii de Vitae Sobriae commodis. Ib 1714. in 4.

Opera omnia medica & Phyſiologica. Accedit Auctoris Vita a Barth. Ramazzino Med. Doct. ejus ex fratre nepote ſcripta: Genevae ſumpt. Cramer, &c. 1717 in 4. *Anno poſt edita ipſa opera Londini fuerunt, iterumque an. 1750. Venetiis vero impreſſa fuerunt an. 1742. Ex iis operibus quaedam in Italicam, Anglicam & Germanicam linguas converſa antea fuerant. Ad Ramazzinium etiam pertinent capita multa, ſeu enarrationes librorum, quae ſunt in ephemeridibus Litteratorum Parmenſibus.*

Multa ejus feruntur carmina, ex quibus unum hoc loco exſcribemus, quod ex eo cognoſci poteſt quam bonus poeta & prudens medicus eſſet. Scripſit illud ad Michaelem Capellarium tum ſibi, tam Muſis cariſſimum virum, qui eryſipelate laborabat.

Crura tibi, ut ſcribis, dirum eryſipelas adurit,
Vir bone, nec reperis qui levet arte malum.
Plurima promittent medici; namque hoc medicorum eſt,
Sed tu ne fidas, nam dare verba ſolent.
'A pingui & oleo, veluti angue & cane caveto,
Unguina ſuccenſo dant alimenta foco,
Pinguia quin faciunt partem putrere peruſtam;
Naſceturque ulcus, quod cacoethes erit.
Nec minus herbarum ſuccus apponere tentes,
Crura nec, ut mos eſt, lacte favere velis.
Talia quippe nocent, coguntque recurrere morbum,
Qui ex imo ad ſummum pelliciendus erat.
Quid faciam ergo, inquis? Tu ſuſtine & abſtine, tali
Decubitus criſeos eſt mihi crede loco.
Interea in lecto recuba, & ſuffuſa rubore
Aere ab externo membra tuere precor.
Sic enim poterit ſenſim expirare quod urit;
Haec ſat nota Coi ſunt documenta ſenis.
Tute ergo obſerva, ac triſtes animo expue curas,
Sitque bene ut valeas unica cura tibi.
Noli dum langues Muſis Phoeboque videri
Tam carus, quin ſis carior ipſe tibi.

Digitized by Google

Angelus Fabronius

Clementi Sibilliato suo

S. P. D.

Tot fere ſententiae, quot homines mihi eſſe videntur de Grammaticorum ſtudiis. Qui haec ita efferunt quaſi ex multis nobiliſſimiſque diſciplinis componantur, qui contemnunt ut levia, ut putida, ut ineptiarum & tricarum pleniſſima. Athenaeus quidem dum irridere vult medicos ait, niſi extarent grammatici eos omnium maxime ridiculos fore; contra ea Quintilianus in immenſo litterarum campo primum locum aſſignare grammaticae cultoribus videtur, quod illorum ars, quae recte loquendi ſcientiam & poetarum enarrationem profitetur, omnia ea (ſunt autem haec infinita) quae propria ſunt oratorum ac poetarum contineat. Hinc illam neceſſariam pueris, jucundam adultis & ſenibus praedicat, & ſolam, quae omni comitata ſtu-

Digitized by Google

diorum genere, ne excepta quidem aſtronomia & muſica, plus habeat operis, quam oſtentationis. Neque minus inter ſe homines discrepant de tradendi grammatices praecepta ratione. Qui illa ita dilatant, ut volenti omnia comprehendere nil ſit niſi grammaticum tota vita legendum, qui breviter ita premunt, ut absint arida omnia, ſicca et exanguia, quibus tenelli puerorum animi terreri atque opprimi ſolent, et perpauca, quae traduntur, monitoris magis non fatui, quam acuti magiſtri eſſe videantur. Adde, quod in tanta opinionum varietate & ſcriptorum multitudine neminem unum invenies, qui malit aliorum veſtigiis inſiſtere, quam nova comminiſci, ceteroſque omnes allatrare. Hinc Varro (qui quantuſque vir!) litterarum porcus a Palaemone appellatur, Priſcianus tanquam infidus Graecus, qui Latinae linguae fucum facere voluit, ab Alvaro traducitur, inelegantiſſimus vel in ipſis ſuis elegantiis *Valla dicitur a Ramirezio de Prado, non ſolum errores, ſed & monſtra Scioppius objicit Donato, Servio, Chariſio, & furioſe invehitur atque bacchatur in Alvarianos*

omnes, ille vero miſerabilis litterator nominatur ab Hornio, vir deſultoriae levitatis a Labbaeo, canis grammaticus a Lambecio; totam artem Alvari levem & nugatoriam eſſe contendebant Graviniani, Lazzariniani aliique plures; Lagomarſinius vero & cum eo Jeſuitae ſui omnes ſcripta recentiorum grammaticorum alia falſa, alia inepta, alia prope monſtroſa, alia plane ridicula, tanti certe non eſſe exiſtimabant, ut a veterum magiſtrorum conſuetudine atque inſtitutis eſſet recedendum. Neque minus hi digladiabantur cum iis, qui affirmabant illos errare magiſtros, qui Latinae linguae praecepta non vernaculo, ſed Latino ſermone ipſis diſcentibus prorſus ignoto tradebant, quod idcirco inventum eſſe videbatur, vel ut pueri Latine interrogando ac reſpondendo naviter audere diſcerent, vel ut, aucta difficultate atque labore diſcendi, taedio afficerentur, & Latinae linguae notitiam aſſequi ſe poſſe diffiderent. Nunquam dicendi is finem faceret, qui omnium Grammaticorum pugnas non dicam enarrare, ſed vel leviter recenſere vellet. Omnino ſi Latinae linguae laus ne-

que tota, neque praecipua in ſoloeciſmis vitandis conſiſtit, ſed in ipſa potius plena ac tereti compoſitione verborum, in colore, in ſucco, & in habitu quodam, ut nihil claudicet, nihil diffluat, nihil fluctuet, ſed tota permixta & temperata numeris aequabiliter conſtanterque feratur oratio, non video quid ad hanc rem conducere poſſint innumera Grammaticorum praecepta, quae, ſi dum ſcribimus, obverſabuntur animo, tot vinculis erimus adſtricti, ut nos commovere nequeamus. Ab illorum tyrannide nos vindicare poterit continua optimorum ſcriptorum lectio, a quibus noſtra & colorabitur, & roborabitur oratio, neque ab illis diſcemus ſolum eleganter, apte, circumſcripte, & numeroſe loqui, ſed & ſoloeciſmos fugere. Nihilo tamen minus ſi quiſpiam Grammaticorum opera ſe egere arbitrabitur, paucis eorum monitis contentus erit, & mirabitur aliquando in multis vel tradendis, vel addiſcendis hominum ingenioſiſſimorum atque otioſiſſimorum totas aetates fuiſſe contritas. Quae huc uſque de Grammaticis attigi ad eos ſpectant, qui dum tricas & moleſtias pariunt adoleſcen-

tibus, toti ſunt in ſuis efferendis ineptiis; neque dubito quin quae Grammaticae objici ſolent vitia, potius ſint hominum, quam artis, cujus praecepta ſe tradere profitentur. Eſt enim quoddam grammaticae genus, quod cum philoſophia non ſolum commercium habet, ſed ab ea prorſus pendet, & in quo multi, ac praeſertim Galli, hac noſtra aetate glorioſe atque utiliter verſati ſunt. Magnum ingenii humani opus fuit regulis linguas, quas neceſſitas, non ratio peperit, ſubjicere, quod paullatim propter rei difficultatem perfectum eſt. Neceſſe enim fuit ex ingenti immenſoque campo illa, quae caſus genuerat, redigere in quaſdam rationes praeceptionis, & quae incondita & inconſtantia erant, revocare ad ordinem atque ad certa principia. Philoſophi (& horum quidem munus eſt moderari linguas, ut & ſcriptorum ornare, ſuoſque illis terminos aſſignare) qui in hac re elaborarunt, praecepta quidem tradiderunt, ſed ut plerumque ſolent ſcientiarum inventores, qua proceſſerint via, & quam ad regulam ipſa praecepta direxerint, minime declararunt. Quapropter

qui philoſophari cupit in re grammatica tractanda ſedulo inveſtigare debet rationem cauſſamque omnium praeceptorum, quae communia ſint omnibus linguis & immutari non poſſint, quae propria unius, quid caſus aut negligentia, quid ratio peperit, quid conſuetudini, cujus gratia aliquando peccare licet, quidque antiquitati ſit tribuendum, quid ex una in alteram linguam infuſum ſit, quo modo ex plurium commixtione quaelibet tamen ſuam quamdam propriam retinuerit naturam atque indolem, quae congruit cum populorum moribus ac fortuna, & ſi vis etiam cum caeli temperie, quae exiguis contineatur finibus, & quomodo hi dilatari poſſint, ſic ut verborum copia rerum copiam aequet, quae ſit moderata, quae effrenata libertas, quae verba magis ſint apta ad exprimendam rerum naturam, ut ſpecies veluti quaſdam objiciant, quibus animi pulſentur, quae dignitatem habeant, quae plebejum ac peregrinum redoleant, & demum, quoniam oratio ad animorum ſenſus exprimendos reperta eſt, & verba ſunt idearum notae, quid hominum natura poſtulet,

ut

ut facile & cum jucunditate in eorum animos penetrare poſſimus. Sane inficiabitur nemo harum ſimiliumque rerum inveſtigationem opus maxime philoſophicum eſſe, neque mediocri logices & metaphyſicae praeſertim egere eum ſubſidio, qui illud tractandum ſuſceperit. Ut tu noviſti multa hujuſmodi Lazzarinius tuus in adverſaria ſua retulerat, quae perierunt vel negligentia illius, vel invidorum culpa. Non mediocrem tamen famam collegit, quod libera voce admonuit Italos ſuos, quae damna apportarent juventuti vulgares grammaticae magiſtri; quos ceteroſque eloquentiae corruptores, ut graves adverſarios, conſtantiſſime refutavit; & veſtigia, in quibus ille inſtitit, non preſſa leviter ad exigui praedicationem temporis, ſed fixa ad memoriam omnium ſempiternam fuiſſe videntur. Hujus vitam tuo maxime impulſu a me conſcriptam, mi amiciſſime Sibilliate, te ſic accepturum confido, quaſi tabulam, in qua cariſſimi parentis imaginem, non illis tuis coloribus, ſed rudi penicillo expreſſam poſſis intueri. Solitus enim es dicere tibi avum Lazzarinium fuiſſe, patrem autem Jo-

Antonium Vulpium, quod horum utrique ſucceſſeris in munere publice tradendi Graecas Latinaſque litteras. Omnes autem te hac conjunctione digniſſimum putant, ac tantummodo ſuccenſere tibi videntur, quod Lazzarinium imitatus multa & magna latere ſinas in ſcriniis tuis, quae publicam lucem non ſolum non reformidant, ſed etiam poſtulant. Vale, & cum Patavium redibo, me non ſolum, ut antea, importunum exactorem, ſed etiam furem, non invidum, ut ille, qui Lazzarinio ſcripta ſurripuit, experiere. Alliges me licet ad rupem, me nunquam poenitebit fuiſſe Prometheum, qui, ut ille de caelo ignem, ſic tibi ardentia & victura in omne tempus ſcripta abſtulerim.

Piſis III. *Non. Martii* MDCCLXXXIX.

Digitized by Google

Dominicus Lazzarinius.

Dominici Lazzarinii vitam eo libentius explicare aggredior, quod non ſolum Orator bonus, & Poeta ſummus, ſed etiam ſapientiſſimus homo fuiſſe mihi videatur. Et cum omnes gradus aetatis illius, cumque ſtudia, & quo tempore iſta didicerit conſidero, ſic miror ipſum, ut neſciam an alius noſtra patrumque memoria extiterit, cui plus debeant litterae ob earum cauſſam alacriter ſuſceptam fortiſſimeque defenſam. Neque quidquam illi obſuit inimicorum, quos multos & potentes habuit, aut invidia, aut odium, quin immo ad augendam celebritatem ſermonis hominum haud mediocriter conduxit. Eſt enim quoddam calumniae genus, quod clamores efficit, & quod non modo patienti, ſed etiam libenti animo ferre ſolemus, quia adhibetur ab iis, qui vel ſuperbia, vel obſtinatione quadam ſententiae id tantummodo probant, quod ipſis libuit. Sed ab initio eſt ordiendum. Nobilis hic patronus, cuſtos & defenſor optimorum

ſtudiorum natus eſt XIII. Kal. Septembris an. MDCLXVIII. in oppido Piceni, cui nomen Murrum, quod Macerata millia paſſuum ſeptem abeſt. Eo in oppido Lazzarinii multa praeclara majorum veſtigia habent, neque monumenta deſunt ad probandum, ipſos vel illud, vel vicinum pagum tenuiſſe aliquando in ſua poteſtate atque ditione. At & domicilium Maceratae habent, & inter Patricios, antiquiſſimoſque cives illius urbis numerantur. Multi clari viri illuſtrem familiam illuſtriorem fecerunt, ex quibus memoratur praeſertim Nicolaus ſenior, Ferrarienſibus Marchionibus, & Beſſarioni Cardinali magno ingeniorum aeſtimatori ob excellentem doctrinam in Graecis & Latinis litteris acceptiſſimus (1). Pater Do-

(1) *De eo haec ſcripſit Apoſtolus Zenus*. Tom. V. Biblioteca Poetica volgare. Niccolò Lazzarini da Moro, gentiluomo Macerateſe, fiorì verſo l'anno 1490. Inſegnò Lettere Greche e Latine a' figliuoli del Duca di Ferrara. Fu poeta aſſai culto e leggiadro, benchè non arrivaſſe a quella pulitezza, con la quale dopo lui ſcriſſero il Sanazzaro, il Bembo e gli altri.

minico fuit Franciſcus Maria, quem puer amiſit, mater Ludovica Guaſparrinia, femina inſigni nobilitate & eximia virtute praedita, a qua liberaliter educatus fuit. Puer frequentavit Jeſuitarum ſcholas, & magna acuti & acris ingenii ſigna dedit. Audivit quoque Philoſophiae, Theologiae & Juris prudentiae doctores, & nondum expleto decimo nono aetatis anno, illa doctrinae inſignia acceperat. Sed haec ne ad laureolam quidem ſatis eſſe putavit. Nam cum intellexiſſet perridiculos eſſe, qui artes rhetoricas exponebant, quod nil niſi inſolens, ineptum ac puerile conſectarentur, ab ipſis Philoſophis de rebus non neceſſariis argutiſſime diſputantibus aniles ineptias efferri, Theologos, ac Juriſperitos fontes rerum non videre, & diſciplinas, quas profitebantur, indotatas, incomitatas & incomptas eſſe velle, ſemet induſtriae ſuae poenituit, & ingenue faſſus eſt:

Nil equidem didici Picena doctus in urbe;
Et ſi quid didici non meminiſſe velim.
Me melius veteres lecti docuere parentes,
Cum mihi gymnaſium gramen & herba foret.

Digitized by Google

Improbans igitur omne id, quod didicerat, ad ſe ipſum retexendum toto pectore incubuit. Magnam ſe habere gratiam Angelo Politiano ajebat, quod ejus ſcripta, quae forte ad ſuas manus pervenerant, ſibi monſtraverint viam, quae ducit ad politiorem elegantiam, reconditioremque eruditionem. Ea propter diu noctuque omnium bonarum artium ſcriptores, ac doctores & legebat & pervolutabat, & brevi eo pervenit, ut perbene & Latine & Etruſce ſcribere putaretur. In quo ut ſocios comiteſque haberet, coepit exagitare atque inſectari perverſam, quae tum in more erat, docendi rationem, ſuos maxime admonens, ne operam perderent in audiendis magiſtris, qui cum ſibi ſemitam non ſaperent, ceteris monſtrabant viam. Ex quo factum eſt, ut magna Jeſuitarum praeſertim in eum exarſerit ira, quae ne morte quidem ipſius ſedari potuit. Coactus Lazzarinius ſuſtinere quotidiana convicia, minime deſpondidit animum, ardentiorique ſtudio in incoepto itinere permanſit. Arripuit incredibili labore, cum ipſe ſibi dux et magiſter eſſet, Graecas litteras, quas tum perpauci

in Italia diſcebant, renovavit ſtudia Philoſophiae, & Juris prudentiae, & homine Auguſtiniano auctore & doctore, animum applicuit ad illud Theologiae genus, quod ſequi ſolent recti verique cupidi. Ex quo tempore tanto amore exarsit in illud Eccleſiae lumen Auguſtinum, ut quoad vixerit ejuſdem opiniones ſumma conſtantia, libertateque defenderit, ipſumque pie ſancteque coluerit. Hujus pietatis indicium eſſe poteſt Latinus hymnus, quem de eodem inchoavit, quemque non perfeciſſe dolemus: magniloquentiam enim poetae prodit. Eximium ingenium Lazzarinii jam publicum theatrum expoſcebat, in quo cum gloria verſaretur; quod reſpicientes ejus cives an. MDCLXXXX. munus illi aſſignarunt docendi jus civile in patrio Gymnaſio. Huic ſane ſatisfecit magna critices & eruditionis copia, ſeque non modo legum Romanarum, ſed & Juris publici, & omnis antiquitatis bene peritum ostendit. Quadriennio poſt juſſus eſt explicare Pontificium jus, neque ejus modo ſchola, ſed & domus magna quotidie diſcipulorum frequentia celebrabatur. Natura enim impellebatur, ut

prodeſſe vel'et quamplurimis, in primiſque docendo, rationibuſque prudentiae tradendis. Eo etiam accedebat ſtudium poeſis, ceterarumque humaniorum litterarum, quae ut eluerent ſordes, quibus jamdiu obſoleverant, nulli ipſe pepercit labori. Ea propter vetus Academia *Catenatorum* reviguit, & nova inſtituta eſt, cui nomen Colonia Elvia, quia deducta putabatur ex Arcadia Romana, qua per illa tempora nulla celebratior erat Academia. Qui huic praeerat (Cuſtodem appellant) Marius Creſcimbenius, quocum Lazzarinius patriam communem habebat, eliciebat ab eo eruditas epiſtolas & carmina, petiitque aliquando ab ipſo pro ſua amicitia & pro ſuo perpetuo ſtudio in Italicas litteras, quas praeſertim excoluit, ut oppugnaret eos, qui Latinam linguam Italica copioſiorem aptioremque ad poeſim, eloquentiam, hiſtoriam, philoſophiam, omneſque eruditas quaeſtiones tractandas affirmabant. Qua de re ipſe opus compoſuit, quod ex hominum memoria excidiſſet, niſi Romae in Tabulario Arcadum extarent litterae ad ipſum Creſcimbenium, quae declarant quid ipſe, quoque ordine ſcri-

pſerit (1). Cum Dominicus numquam relaxaret animum a maximis, quas in ſtudiis

---

Alſeſibeo Cariſſimo

Quanto alla mia Cenſura dell' amico, ſappiate, che ella è ritrovata, e formata così. Io prendo a biaſimare quella ſtrana, e beſtial ſentenza d'Opico, che uomini intendenti non poſſono non eſſere inetti, parlando volgarmente; e che la lingua Latina alla noſtra ſopraſta di còpia, di numero, e di ricchezza. Nel proemio riprendo generalmente coloro, che laſciano d' adoperare la nativa lingua per uſar la ſtraniera con molte ragioni, ed autorità tolte da quel che ſopra ciò diſſero e Tullio, e Plinio, e Dante, ed altri uomini dottiſſimi. Poi m' avanzo a dir l'opinione, che ebbero della lingua Latina uomini dottiſſimi, ed i Latini medeſimi; poi moſtro con l'autorità di coloro, che tradusſero la Filoſofia Greca, come Teodoro Gaza, Ermolao Barbaro, ed altri, che la Latina per una ſomma penuria di voci è poco atta ad illuſtrar le coſe filoſofiche. In poco moſtro, che ci è meglio adoperar la Toſcana, che la Latina. Voi vi vedrete le ragioni, quando averete in mano l'opera.

Digitized by Google

adhibebat, contentionibus, conſecuta eſt ſumma gracilitas, & infirmitas corporis, quae a

---

Tutta la diſputa è diviſa in due parti. Nella prima pongo la ſtoria della noſtra lingua: dove diſcorrendoſi di tante ſorti di favole, che abbiamo noi, e componimenti, la lezion riuſcirà dilettevoliſſima, ed attiſſima a provár la mia ſentenza. Poi farò chiaro, che i Latini tutte l'opere, che han fatto, le han tolte da Greci, non ſolamente quanto al ritrovamento della Favola, ma ancora quanto al metro, e confronterò molti verſi di Virgilio con quelli di Eſiodo, Teocrito, ed Omero, e di Catullo con Callimacho &c. donde mi farò largo a lodar la lingua Toſcana, che per la diverſità del metro, non ha avuto quell'ajuto dalla Latina, che la Latina dalla Greca, nel dar fuori tante maniere di comporre: poi diſcorrerò con l'ordine d'Ermogene delle virtù, che può aver una lingua, e le vedremo tutte, la Dio mercè, eſſer nella noſtra in miglior grado, che non ſono nella Latina: e certo vi ſi diran delle buone coſe. Nella ſeconda parte parlerò del metodo della noſtra lingua, dove vedrete la noſtra ſtar al confronto della Greca, e ſopravanzar la Latina; dico lo vedrete, perche ſi diran le coſe in maniera,

vitae periculo non procul abeſſe putabatur. Itaque & amici & medici illum hortabantur,

che non ſi potran negare. Ed Opico avrà poco guſto, cred' io, in veder deriſa quella ſua unica ragione, che la lingua Latina è miglior della noſtra per la diverſa infleſſione de' caſi ne' nomi, e conjugazioni de' tempi ne' verbi. Mi diſpiace, che in una lettera non può capir tutto: baſta l'opera ſarà di 20. e più fogli, e ſpero di farmici più onore, che egli non ha fatto con tutti i ſuoi opuſcoli. Intanto poi parlerò Latino; queſto per difendere la noſtra lingua con quelle armi medeſime, con le quali è ſtata offeſa, ma queſto mio parlar Latino moſtrerà di volta in volta ad arte qualche ſcarſezza di voci, e l'impoſſibilità di dir latinamente quello che nella noſtra lingua ſi direbbe con leggiadria. In fine paſſerò a tacciar il giudizio, che egli fa d'alcuni uomini dell' ultimo noſtro ſecolo, e particolarmente di Bacon di Verulamio, ch'egli chiama latiniſſimo, e farò vedere, che queſto uomo per altro dottiſſimo, ed eccellentiſſimo Filoſofo, nella ſua Iſtoria della vita e della morte nè ha ſervito alla lingua Latina, nè ci ha potuto ſervire. Ma non voglio più tediarvi, oltrechè ſon certo, che mentre vi ſcrivo così compendioſamen-

ut deſiſteret litteris vacare. Remiſit quidem aliquid de priſtino labore, valetudinemque recuperavit. Tum Peruſini vehementer illum rogarunt, ut Quinqueviratum litibus judicandis (Auditorem Rotae nominant) acciperet. Homo, qui in ſumma comitate habebat etiam ſeveritatis non parum, illud munus exercuit magna cum opinione non ſolum doctrinae, ſed etiam integritatis. Proderat quoque multis, qui cupidi erant humaniorum litterarum, inter quos honoris cauſſa nominare lubet Angelum Mariam Quirinium, qui poſtea ex Monacho Caſſinenſi factus eſt S. R. E. Cardinalis (1); & cum videret ſe eſſe acceptiſſimum

---

dioſamente queſt' opera, io ve la confondo. Roſindo m' impediſce dallo ſcrivervi più a lungo, ed intanto vi ſaluta caramente. Addio a rivederci Sabato.

(1) *Ita ille* in Comment. de rebus ad ſe pertinentibus. Munus Auditoris, ut vocant Rota, gerebat eo tempore in urbe illa *(Peruſiae)* Lazzarinus, Profeſſoris vero inter ſuos Franciſcus Burgoſius. Ambo poſt aliquot annos Patavini Athenaei cathedram ſunt aſſecuti, ex qua deinde Burgoſius ad

univerſo populo Peruſino, illud curare unum videbatur, ut in illorum commodis augendis nunquam non grata animi ſui benevolentia appareret. Tum quoque magnam inivit amicitiam cum Franciſcano homine Burgoſio, quem poſtea collegam habuit in Patavino Gymnaſio; et quia plurimum tribuebat ejus in rebus divinis doctrinae, quaedam de ſuo addidit ad illa, quae ipſe litteris mandaverat *de Eccleſiaſticae hiſtoriae in Theologia auctoritate & uſu*, quaeque anno MDCCII. Peruſiae typis impreſſa fuere. Jam coeperat Dominicus abſentibus etiam eſſe notus, & Florentiam, Bononiam & Romam venit, ſperans ex artibus, quae valent ad concilianda hominum ſtudia, & quae admirabilem dignitatem

---

Catanenſem Epiſcopatum aſcendit. Quod par illud doctorum virorum Peruſiae nactus fuerim, quodque ad familiares eorumdem ſermones admiſſus, multa a Burgoſio praecepta hauſerim de ſaniori theologia ſectanda, a Lazzarino autem de politiori litteratura excolenda magno me in lucro deputaſſe profiteor.

& pergratam utilitatem ſolent habere, uberes ſe poſſe fructus percipere. Florentiae vixit in primis cum Salvinio, Magliabechio & Capaſſio ; Bononiae cum Joſepho Urſio, & Manfrediis fratribus ; Romae vero in intimam familiaritatem pervenit Gravinae, Garofoli, De Miro & Fontaninii, & gratiam inivit ab hominibus, quorum dignitas vel erat jam, vel futura erat ampliſſima, Corſinio, Lambertinio, Caſonio, de Via, Imperiali, Spinula atque Paſſioneo. Suſpectus erat iis, qui Jeſuitis favebant, his vero omnino infenſus ob multas cauſſas, ſed praeſertim quia auctor putabatur cujusdam libelli editi Caeſenae, qui nomen prae ſe ferebat Franciſci Bagnarii (1)

(1) *Huic titulus eſt*: Animadverſiones & notae in Emmanuelis Alvari Grammaticas Inſtitutiones, Authore Franciſco Bagnario Viſtulo ec. Caeſenae 1704. *Adverſus illum prodiit libellus alter, qui inſcribitur*; Bagnarius Poedagogus ad ſcholam revocatus, *in quo omni contumeliarum genere laceratur Lazzarinius. Quamquam non laudaverim quod ipse ſuſceperit inimicitias adverſus Jeſuitas tamen majores ab ipſis accepit injurias, quam tulit.*

quoque exagitabatur Alvari grammatica, ut putida, & tricarum plena. Negavit conſtantiſſime Lazzarinius ſe quidquam hujusmodi confeciſſe, quamvis ei eſſet perſuaſum male ab Alvaro, ejuſque interpretibus conſuli ſtudioſis Latinae Linguae, hancque non ex infinitis obſcuriſque Grammaticorum praeceptis, ſed ex veterum Scriptorum lectione atque imitatione comparandam. Cauſſa etiam fuit apertior magis magiſque alienandi ab ſe Jeſuitarum animos. Porro ecquod factum in Litteratorum Republica non dicam audacius, ſed impudentius commissum fuit, quam revocare in dubium auctoritatem veterum ſcriptorum veterumque diplomatum? Utrumque geſſere Jeſuitae Harduinius & Germonius; & de Germonio quidem tum maxime ſermo erat, qui an. MDCCV. *Diſceptationem* ediderat adverſus Jo. Mabillonium deſenſorem acerrimum & interpretem eximium veterum diplomatum, glorians *ſe artem illius diplomaticam nullam feciſſe*. Defenſionem arripuit Mabillonii Juſtus Fontaninius, Germonii ſcriptores ephemeridum Trevoltienſium. Hos confutandos ſuſcepit Lazzarinius tum amicitia Fontaninii, tum veritatis ſtudio adductus.

Quae ipſe ſcripſit edita Pariſiis fuere, an. MDCCVI. Dominici Paſſionei ea in urbe tum commorantis cura, ad quem ſuam ponderoſam epiſtolam apologeticam miſerat. Ridet primo impudentiam inſulſitatemque Germonii, qui paucis ineptiſque chartis convellere ſe poſſe putavit, quod Mabillonius multis, laborioſis doctiſſimiſque *de re Diplomatica* ſtatuerat. Deinde ad rem propius accedens probat quantum interſit tum Chriſtianae tum civili Reipublicae firmam eſſe veterum diplomatum auctoritatem; ex his etſi quaedam ſint falſa, per pauca tamen hujuſmodi ad nos perveniſſe, & eſſe notas optimas ad illa dignoſcenda; omnia vero conficta fuiſſe a Monachis, hominibus inſtitutione ſanctis & religioſis, non poſſe affirmari niſi ab iis, qui toti ſunt ex fraude & mendacio compoſiti. Multa ſalſe, & firme & graviter dicit, ut aperiat quibus artibus Trevoltienſes abrogare fidem dictis atque argumentis a Fontaninio allatis, & fucum facere ſtuduerint, & in extrema epiſtola ait ſe ſe brevi Roma diſceſſurum, reſervaviſſeque ad Athenarum ſuarum (ſic Murrum appellare ſolebat) otium & requiem confectionem

nem cujuſdam operis, quo certe innuebat Latinos Dialogos *de corrupta eloquentia*. Nihil iis erat odioſius & moleſtius Jeſuitis, quia fama nuntiabat ſcriptos illos eſſe elegantiſſime, & liberrime, immo fortaſſe aſperrime inſectari rationem, quam ipſi in docendo ſequebantur. Ne quod, tum promiſerat, praeſtaret, fecit petulantia Germonii ejuſque defenſorum, qui ita clamabant, ut nullum obſtrependi finem facere velle viderentur. Germonius etiam Lazzarinii epiſtolam ad Paſſioneum, ſeu ad amicum Pariſienſem, de qua ſupra diximus, notulis quibuſdam aſpere & inſulſe momorderat; & homo, cui facile ardebat animus, & cor cumulabatur ira, minime a ſe obtinere poterat, ut patienter ferret inimicorum injurias. Itaque *Defenſionem in Germonium* confecit, quae typis impreſſa fuit ſtudio docti viri Neapolitani Cajetani Lombardii. Alloquitur Germonium ipſum, ac ſi praeſens eſſet, cum judiciali quadam aſperitate, & cum ſententiarum aculeis. Ignorare ipſum oſtendit quid interſit inter atticos, veteres, urbanos ſales, quibus illa ad Paſſioneum epiſtola abundabat, & convicia ex trivio ſum-

pta, quibus ſe ipſum inſectatus eſt. Probat etiam eumdem nihil didiciſſe de ſcribendi Latine elegantia, quod ea reprehenderit, quae ſunt elegantiſſima, & in multis ipſe peccaſſet, & omnino barbare ſcriberet. Dum vero rationem poſcit quare quidque ipſe & Trevoltienſes dixerint adverſus ſe, Fontaninium & Mabillonium, ſic inſtat, urget & premit adverſarios ſuos, ut nullum ipſis effugium relinquat, convincatque ipſos non ſolum indocte, ſed etiam impie feciſſe, quod minime ſincera eſſe judicaverint vetuſtiſſima diplomata, quibus mirifice Eccleſiarum, Monaſteriorum, Regum nobiliſſimarumque familiarum hiſtoria comprobatur atque illuſtratur. Rediit paullo poſt ad eamdem rem, ſcripta ad Fontaninium epiſtola, non quo veritatis cauſſa novis egeret argumentis, ſed ut deceptos a Germonii fautoribus fuiſſe probaret Scriptores ephemeridum Pariſienſium & Batavarum, qui de tota hac controverſia falſa & inveriſimilia narraverant. Extat & alia, ſed brevis, Epiſtola ad Fontaninium ipſum, qua laudat M. Antonium Gattum, quod defenſionem illius adverſus Jacobum Bernardum ſuſcepiſſet. Fertur & alia hujusmodi

ſcripſiſſe, quia non facile obliviſcebatur injuriarum, & quia fortis & conſtans in tuenda veritate & amicis videri volebat. Ceterum non eſt tacendum, quod ad laudem illius haud mediocriter facit, ſenem improbaſſe, quae juveniliter exultans ad irridendum Germonium acrius persecutus eſt, quanquam id, quod in eum jactarunt adverſarii, convicium, quod ipſe reſpondit, urbanitas vere poſſit appellari (1). Eodem tempore, quo illa exaravit, Italice reddidit librum Ariſtotelis *de mundo*, quo

---

(1) *Hinc factum ut ad Germonium ſcriberet*: quo quidem fit, ut qui noſtra illa joca legerint, rideant, qui tua vero maledicta horreant. *Infinitus eſſem ſi eos nominare vellem, qui ſcripta Lazzarinii in Germonium laudarunt. De Germoniana quidem Oratione pronuntiarunt Scriptores Actorum Lipſienſium* politiſſimo dicendi genere illam conſcriptam fuiſſe. Cum autem Germonius (*addunt ipſi*) caſtiſſimae Latinitatis ſtudioſus vellet videri, & Lazzarino diligentiſſimo certe Ciceronis aemulo quaedam ſtyli vitia objecerit, hic non ſua ſolum verba vindicat, verum etiam Germonium reprehendit, quod ſcripſerit. *T. IV. Sect. VIII. p.* 355.

nihil eloquentius ſe unquam legiſſe, & rapi omnino amoenitate aurei illius fluminis (ſic enim a Cicerone Ariſtotelia copia appellabatur) dicebat. Quamquam & illum ipſum in Latinum converterit vir ſane doctiſſimus Budaeus, hunc tamen longe abfuiſſe ab elegantia Graeci ſcriptoris merito judicabat Lazzarinius, ut in nova interpretatione conficienda eſſet opera ponenda. Hanc ad Gravinam & Garofolum miſit, qui Graecas litteras ſic amabant, ut ſine iis nullam eſſe eruditionem arbitrarentur. Poſt id quaedam Salluſtii Graeci philoſophi & Lycophronis convertit, & illa priora edita Venetiis fuerunt an. MDCCX (1). Nullam omnino extare Graecorum ſcriptorum interpretationem ipſe concupiviſſet, parum adeo ſibi ſatis faciebant, qui in ejusmodi re elaboraverant, quod judicium ſi non ſuperbum, nimis certe ſeverum facile dixeris. Et quamvis Petro Victorio tantum impertiebatur laudis, quantum viro Graecis litteris doctiſſimo debebatur, hujus ta-

---

(1) *Extant in opere, cui titulus*: Oſſervazioni critiche del Dot. Girolamo Baruffaldi in difeſa del Chiaris. March. Orſi.

men interpretationibus non plane poterat eſſe contentus. Quod ſane miror; ſunt enim ſplendidae verbis, acutae, prudentiaeque pleniſſimae. Graeca ipſe praeſertim tractavit, cum Bononiae annum & amplius fuiſſet, dum illi praeerat Caſonius Cardinalis, tum propter illius amicitiam, tum propter doctrinarum, quae in illa urbe ſemper floruerunt, cupiditatem. Quae vero Graecos ſcriptores imitans ſtudii delectationiſque gratia litteris mandabat, aut in *Gelatorum* Academia, aut in amicorum corona, qui ſaepe conveniebant apud Joſephum Urſium, recitabat. His artibus exercitationibuſque effecit, ut omnium ſermone ejus nomen celebraretur; quapropter magnum ſe additurum decus Gymnaſio Patavino judicavit Venetus Senatus, ſi ipſum ad docendas in eodem Graecas & Latinas litteras vocaſſet. Quingentorum florenorum ſtipendium ei propoſitum fuit, neque omiſſa praeconia, quae declarabant quantum illius doctrinae tribueret (1). Tam libe-

(1) *His verbis ſcriptum eſt Diploma*. Non permeſſo alle moleſte indiſpoſizioni, che affliggono la ſalute

rali, tamque honorificae invitationi ceſſit Lazzarinius, & Patavium venit ineunte an. MDCCXI. Priori oratione, qua ingreſſus eſt Academiae fores, cauſſam egit ſtrenue Graecarum literarum. Probavit enim ſine iis neminem bene Latinam linguam callere, atque ad eloquentiam, eruditionem, perfectam cognitionem hiſtoriae, ma-

---

dell' Ab. Sebaſtiano Melchiorri d'aſſoggettarſi al grave peſo della Cattedra d'Umanità Greca e Latina, ricercano i riguardi eſſenziali dello Studio, che vi reſti ſoſtituito altro ſoggetto, che ben corriſponda alla ſua importanza. Avuteſi perciò fondate relazioni, che l'Ab. Domenico Lazzarini di Macerata uniſca alla nobiltà de' natali gli ornamenti di perfetta erudizione, e che con l'opere date alla luce abbia fatto conoſcere la rarità ed elevatezza del ſuo ingegno nel fondato poſſeſſo che tiene nelle ſcienze, ben rilevano i Riformatori noſtri opportuno l'incontro di promoverlo alla Lettura ſteſſa . . . . . . con annuo ſtipendio di fiorini 500.

Dat. ex noſtro Ducal Pal. die 18. Dec. 1710.

gnarumque artium diſciplinas poſſe perveniꝛe (1). Clamore etiam atque conſenſu doctiorum corripuit vulgares magiſtros, planeque eſſe quod ferri non poſſet, oſtendit. Si Facciolatum audimus, ut olim Faſelo contigit, Lazzarinius cum eam orationem habuit, deficiente memoria, repente obmutuit, ſed Faſelo animoſior locum tenuit, & quod reliquum erat de ſcripto pronuntiavit. Alia & innuit Facciolatus de Lazzarinio, ex quibus apparet honori invidiſſe collegae. Ait enim illum vix

(1) *Summis laudibus hanc orationem extulere Antonius Maria Salvinius,* Lez. 48. *&* Ap. *Zenus*, Lettere T. I. *Cum vero Lazzarinius ipſe ad ſuos ſcriberet de plauſu, quo excepta fuit haec oratio, ait*. Se avrò la ſteſſa fortuna nel giudizio di tutta l'Italia, come ho avuto quà, poſſo conſolarmi delle mie gravi fatiche. Non mi ſtendo a dir molti particolari perchè &c. Dirò non dimeno, il che è venuto più dalla fortuna, che dalla virtù mia, che più d'una volta mi turbaron gli evviva, che mi ſi facevano ſotto voce, e che finito che ebbi s'alzarono a voce alta.

Graeca delibaſſe, cum ad Patavinos venit, in quo perſpicue mendacium mihi eſſe videtur; magis exiſtimatorem metuendum, quam admirandum Oratorem fuiſſe, ſolitumque iisdem de rebus quaſi dictata decantare, neque a commentariolis ſuis diſcedere; refugiſſe etiam ab edendis in vulgus ſuis orationibus, cum ſe putaret ſatis magnam adeptum eſſe dicendi gloriam, eamque etiam majorem viſum iri, ſi in exiſtimantium arbitrium ſua ſcripta non venisſent. Quod judicium cum ipſe probare videatur, inimice cum illo egiſſe judicandus eſt, qui illam priorem orationem typis, abſente invitoque fortaſſe auctore, commiſit. Sed ita erat natura comparatus Facciolatus, ut multa illum tangeret cura gloriae ſuae, nulla alienae, & vel ipſas laudes, quas raro ſummis viris tribuebat, malevolentia aliqua ſuffunderet. Gravis profecto, elegans, & eloquentiae luminibus diſtincta eſt illa oratio, quam aliae plures conſecutae ſunt, ex quibus apparet Lazzarinium fuiſſe anteſignanum eorum, qui optima ſtudia defendebant, & corruptores eloquentiae caſtigabat. *Quod ſe animo Chriſtiano & pacato facere* profitebatur, quia nemini erat inimicus

& dolebat tantummodo *eſſe gratioſos homines, qui barbariem & vaniloquentiam ex ſophiſtarum latebris revocatam juventuti obtruderent*. Ex multis, quas in Academia Patavina habuit, orationibus tres tantummodo extant, neque tertiae extrema manus acceſſit. Priorem, quae ſola vivo auctore prodiit in lucem, edita Baſſani *caſtigatione* quadam ita cavillatus eſt Antonius Platius Leoninus Carpenſis, ſub quo nomine latuiſſe putatur Jeſuita Aghilera, ut in ea non inſulſitas modo atque inſolentia, ſed tanquam inſania quaedam appareat. Sed haec facile erat contemnere homini, qui quoties dicturus erat, complebatur ſchola, ſignificabatur a multiplici corona ſilentium, deinde crebrae aſſenſiones, multae admirationes, riſus etiam cum volebat, & cum volebat indignatio. Cum vero eloquentiae praecepta tradebat, quae ceteri magiſtri tenui quodam exanguique ſermone diſputant, hic cum omni gravitate, eruditione & jucunditate explicabat, ſic ut mirifice ad dicendum acueret, aut adjuvaret in eo juventutem. Hoc & concedebatur ab iis, qui ſine invidia judicabant, fuiſſe illum ingenio prudentiaque acutiſſimum in interpretandis Graecis

Latiniſque exemplaribus, & in exponendis iis; quae pertinent ad poeſin, hiſtoriam, artes, in quibus veteres valuerunt, ritus, ceremonias, inſtitutiones atque conſuetudines, quas tum in publica, tum in privata re tenuerunt. Tali modo diſcipuli non ſolum ab eo accipiebant, quibus ſtudendum eſſet rebus, quod ipſum tamen erat iis temporibus magnum, ſed vias earum rerum, rationemque cognoſcebant. Miraberis profecto ex acroaſibus, quas publice in ſchola habuit, dum an. MDCCXV. Ariſtotelis poeticam interpretabatur, fluxiſſe tragoediam *de Ulyſſe juniore* Italicis carminibus conſcriptam. Non admodum facere illam videbatur, ſed decies repetita a Monachis Benedictinis, qui ſunt ad S. Juſtinae, cum placuiſſet, & cum illius exemplaria foeda mendis ad multorum manus invito auctore perveniſſent, ipſe de poliendo edendoque, quod occultare ſperaverat, cogitavit. Imitatus eſt Oedipum Sophoclis. Nam Graeci poetae fabula tota pendet ab eo, quod Oedipus agnoſcit ſe matrem uxorem duxiſſe, & patrem occidiſſe, noſtri ab eo, quod Ulyſſes Junior agnoſcit ſe uxorem duxiſſe filiam, & filium omni virtute praeſtantem occidiſſe. Nec filii oc-

ciſio unitati nocet, quin immo ipſam agnitionem admirabiliorem facit, & magnam vim habet ad ſenſum movendum. Id ſane ſpectavit in primis, ut omnes dramatis partes optime inter ſe congruerent, & quae artis magiſtri tradunt praecepta, ſe ſervaſſe judicaretur. Quanta etiam adhibuit dictionis ornamenta, quanta elatio verborum & ſententiarum in choris! Quanta ubique dignitas, gravitas, venuſtas atque elegantia, quanta felicitas in transferendis ex Graecis ad Italicas musas ſententiarum leporibus! Omnino Lazzarinium Graeca perfecte noviſſe, & Italica poeſi plurimum valuiſſe, habuiſſe teretes aures intelligenſque judicium, atque a natura ad ſensum, & ad grandia effictum fuiſſe, ex hac una liquere poteſt tragoedia. Nihilo tamen minus Scipio Maffejus (de Jeſuitis non loquor, quorum ſuſpecta tum maxime erant judicia) qui inimico ſemper animo in Lazzarinium fuit, maximeque poſtquam hic libere expoſuit, quae reprehendenda duxit in illius Merope, plura Ulyſſi objecit. Cetera inter ajebat haud ferendum eſſe hominem, qui nimium

Voces triſtificas chartis promebat Hetruscis,

& in eo peccaſſe poetam, quod patrem, filium filiamque omnium aerumnosiſſimos non propria, ſed avorum culpa populo ſpectandos praebuerit. Qui contendunt praecepiſſe Ariſtotelem ne in theatrum inducamus Heroas virtute praeſtantes, qui a proſpera in miſeram devenerunt fortunam, minime ad philoſophi ſenſum penetraſſe videntur. Omnino ſi voluiſſet, Lazzarinius non modo ad tragici, ſed etiam ad comici poetae laudem aſpirare potuiſſet. Noverat mores hominum, habebat ſalis non parum in irridendis illorum ſtultitiis, & mirum quantum valebat in exprimenda rerum natura, quod vel ex ejus familiaribus ſermonibus intelligebatur. In hoc genere nil extat illius niſi Comoedia, quae inſcribitur *la Seneſe*, quaeque genere jocandi eleganti, urbano, ingenioſo, faceto referta eſt. Habet & ſua vitia ſi non in inventione, in diſpoſitione certe atque ordine, quae agnoſcebat & improbabat Auctor ipſe, ſed de iis emendandis nunquam cogitavit, quod illam ſe per jocum ad oblectandos S. Juſtinae Monachos, qui eamdem primum egerunt, dictaſſe dicebat, & quod nunquam emanaturam putaverat. Verum nimis temere, atque injurioſe

judicaſſe videtur Maffejus, qui nulla re ipſam commendari, nunquam riſum, ſemperque taedium movere pronunciavit. Si quis erit etiam, qui non prorſus dignum Lazzariuio judicet ſacrum melodrama, quod inſcripſit *il Tobia*, quamvis habeat verſus libere fluentes & elegantes, non vehementer repugnabo. Iſtud enim raptim ſcripſit, ut Oratorianis praesbyteris morem gereret; & ingrate & imperite etiam (nam multa peccarunt) ii feciſſe videntur, qui locum illi dederunt inter ſelecta ipſius carmina. Qui de edendis alienis ſcriptis laborant, etiam atque etiam videre deberent quid, imprudente & invito auctore, exciderit, quid ipſe pervenire in manus hominum concupiverit, quid inchoaverit, quid perfecerit, nec ſibi tantum arrogarent, ut probent ea, quae ille improbavit. Sic enim melius & ſcriptorum famae & litteris conſultum eſſet; & ſane poeta non multis eget carminibus, ſed paucis, in quibus omnia ſint apta atque perfecta, ut ad nominis immortalitatem poſſit pervenire. In omnibus rebus difficilis eſt optimi perfectio atque abſolutio, ſed praeſertim in poeſi, quod cum intelligeret

Lazzarinius, ex ſe perpauca extare volebat (1), ex quibus judicium tantummodo facere poſſent homines, quam amicas haberet Latinas atque Italicas Muſas. Merito quidem Joannes Antonius Vulpius appellavit omnibus numeris abſoluta pauca illa Latina carmina Lazzarinii, quae cum ſuis edidit. Redolent enim Auguſti aevum. Illa vero Italica epigrammata de Petrarcha, deque illius & ſuis amoribus, ut ſenſum movent, ut implent aures, ut ſunt tenera, morata, mollia & plena artis atque elegantiae! Et ſi in ſenecta reputavit miſerrimum fuiſſe deditum amatoriis levitatibus, ut beatam inter caelites vitam deſperare videretur, repente ad ſpem rapitur, dum Chriſtum intuetur, ejuſque mortem contem-

(1) *Hac de cauſſa fortaſſe Lazzarinius tanquam ſua ſe tantummodo agnoſcere dicebat quatuor illa Italica epigrammata, quae relata fuerunt in part. IV. operis, quod inſcribitur;* Rime d'alcuni illuſtri Autori viventi aggiunte alla ſcelta d'Agoſtino Gobbi, *quanquam conſtaret alia hujuſmodi plura ipſum confeciſſe.*

platur, ex quo materiem ſumpſit omnium fortaſſe elegantiſſimi epigrammatis. Quanquam putem ficte loquutum fuiſſe Lazzarinium, dum ait ſaepius amore ſe flagraſſe in adoleſcentia, ſeque provectiore etiam aetate in amorem incidiſſe, qua de re Latinam elegiam compoſuit, ad vivum certe exprimebat quod volebat, & imaginibus agentibus & inſignitis animabat. Quapropter vere poſſe dicere videor, perpaucas illius carminum pagellas multorum poetarum volumina ſuperare. Imitari atque exprimere cupiebat Graecos poetas, ut non ſolum praeceptis, ſed etiam exemplo ſuo admoneret homines, fontes rerum quaerere, rivulos non conſectari. Ut vero iis conſuleret, qui ſine cortice nare non poterant, multa e Graeca in Italicam linguam convertenda ſuſcepit. Niſi mos illi fuiſſet deſerere, quod inchoaverat, plura hujus generis haberemus, neque extat niſi Sophoclis Electra, cui nec extrema manus quidem acceſſit. Quare qui exultaſſe laetitia viſi ſunt, Jacomellius & Lagomarſinius, quod in ea nonnulla reprehendenda invenerunt, reminiſci debebant, neque perfeciſſe, neque edidiſſe hanc interpretationem

Lazzarinium, cui ſane non erat incognitum; quid ad perfecte reddendos interpretandoſque Graecos Tragicos conduceret. Qua de re libellum confecit, quem periiſſe cum aliis illius ſcriptis de Poetica, deque Eloquentia, qui ſublati illi fuerunt (ſua enim negligentiſſime adſervabat) vehementer dolemus. Porro amicis Lazzarinii intuentibus in eum crebro in mentem veniebat vereri ecquodnam judicium poſteri facturi eſſent de illius natura admirabili, & exquiſita doctrina & ſingulari induſtria. Nam cum adduci nunquam poſſet, ut in uno aliquo opere poliendo perficiendoque diu ac multum inſudaret, ſic ut illum magis ſtudium ipſum exercitatioque, quam fructus & gloria delectaret, & multi eſſent inimici, qui de illo libenter detraherent, fore tempus videbatur, quo magna illius in litteras merita ignorarentur. Haec autem modice illum tangebant, in id unice intentum, ut diſcipulos ſuos, ceteroſque ſtudioſos litterarum conſilio et opera juvaret. Naſcenti etiam laudi, dignitati virtutique praeſuit multorum nobiliſſimorum juvenum, quorum nonnullos convictores habuit, atque ex his ſic ſemper dilexit

xit Proſperum Columnam, qui ad ſummam amplitudinem pervenit, ejuſque fratres, ut non cum ullis conjunctius vixiſſe videretur. Cum vacabat vero a docendi munere, libenter faciebat itinera vel ut amicos, vel ut ſuos Maceratenſes viſeret. An. MDCCXVI Mediolanum venit, ibique a multis & praeſertim ab illius civitatis Archiepiſcopo, apud quem habitavit, honoratus fuit. Inde Auguſtam Taurinorum acceſſit, magniſque praemiis, quae recuſavit, ad docendum in illius urbis Gymnaſio invitatus fuit (1). Romam & rediit anno Jubilaei, Pontificatum Maximum gerente Benedicto XIII., laudeſque ſummae, quas de ſe ab hominibus doctrina excellentibus praedicari audiebat, magnam vim habebant ad magis

(1) *Sic ille ad Galeardum ſuum ſcribens*. Rex Sardiniae me largiſſimo ſtipendio ſextertiorum quadraginta, ſive ut Graeci dicerent, centum minis invitavit, ut in ſuo Lyceo eloquentiam profitear. In officio atque fide erga Venetam Rempublicam ſum, atque ero.

magiſque inflammandum animum, qui id unum egerat, ut litteris & Italiae gloriae proſpiceret (1). Quod a natura Lazzarinius habuerat genus ſingulare acuminis, quod arte & exercitatione limaverat, in notandis reprehendendiſque ſcriptorum vitiis, ſaepe amici curioſius ab illo eliciebant, quid de celebrioribus judicaret. Non dubitabat ipſe quod ſentiebat, aperire (nihil enim in eo erat niſi ingenuum, ut diceret magis convenire aperte odiſſe, quam fronte occultare ſententiam) ac ſaepe eveniebat, ut ea, quae eximia & praeclara pleriſque videbantur, ipſe parva duceret. Uſque eo moroſus & difficilis erat,

---

(1) *Sunt qui tradunt illum & ſuſtinere debuiſſe, dum Romae erat, moleſta multa ab iis, quos adverſarios habebat, quos cum ferebat, agebat gratiam fortunae conſtantiaeque ſuae, quae ad hanc experientiam ſe exercuerat. Fertur & irae aliquid conceſſiſſe, ſcripto Italico epigrammate, quo alloquitur Petrarcham, cujuſque eſt initium,*

Sacro mio Cigno, e ancor non piove mai

ut ei non ſatisfaceret magnus ille Lucretii interpres Alexander Marchettus, et Tragica Merope Italicae ſcenae a Maffejo reſtituta, cujus judicii ſui rationes plures ſcripto, quod eſt in manibus hominum, expoſuit. Hinc, ut erat credibile, excepit odia atque injurias; nam Maffejus quidquam de ſua, Franciſcus vero Marchettus quidquam de patris, qui jam obierat, gloria detrahi non facile ſinebant. Nos minime pronuntiabimus num dilutae fuerint Lazzarinii reprehenſiones. Nam etſi maculis quibuſdam Merope, & Lucretii interpretatio carere nobis etiam non videantur, negare tamen non poſſumus excitandam potius, quam reprimendam fuiſſe ſummorum hominum induſtriam, qui talia ediderunt, quibus merito Italica poeſis gloriari poſſit. Facilius eſt vitia, quam virtutes videre, neque ſevere agendum eſt cum iis, qui, quaedam licet peccaverint, prope jam abſoluti atque perfecti in arte, quam tractandam ſuſceperunt, fuiſſe videntur. At ſunt nonnulli, qui certare glorioſius putant, quam omnino non adverſarios habere; neque dubitabit quiſquam Lazzarinium fuiſſe paullo intemperantiorem in

coarguendis alienis erroribus. Parum abſuit etiam, quin diſſolveretur amicitia, quam jamdudum copulaverat cum viro omnium fortaſſe eruditiſſimo Antonio Muratorio, earum rerum cauſſa, quas ipſe litteris mandaverat de Ludovico Caſtelvetrio. Haud enim ferendas eſſe arbitrabatur contumelias, quibus praeſertim Hannibalem Carum comprovincialem ſuum, quo neminem Caſtelvetrius infeſtiorem habuit, Muratorius oneraverat. Illius ſe defenſionem ſuſcepturum profeſſus eſt, ſed ita ut omnes intelligerent, philoſophiam ſe docuiſſe quemadmodum adverſus amicum ſe gerere deberet. Exiſtimabat Muratorius ad hanc pugnam non ſua ſponte, ſed Fontaninii importuniſſimi adverſarii ſui cohortationibus Lazzarinium impelli, & huic ita reſcripſit, ut nihil ſe malle oſtenderit, quam ut amicitiae officia diligenter ſancteque ſervarentur. Verum vel quia Lazzarinius illi, cui erat iratus, propter ſingularem hominis doctrinam & gravitatem quotidie aliquid iracundiae remittebat, vel quia raro inſtituta abſolvebat atque interrupta contexebat, minas, quas jactaverat, evaneſcere ſivit. Sunt qui arbitrantur ab ipſo prodiiſſe

Digitized by Google

ſcripta quaedam plena maledictorum & conviciorum in Muratorium pro Caro & Petrarcha, ſed non dubito qui haec affirmarunt, quin male oderint Lazzarinium ipſum. Res eſt teſtata multis monumentis eumdem abſtinuiſſe hujusmodi injuriis, illas a Blaſio Sclavo Eſtenſi conflatas, & quae ipſe extrema aetate exaravit in diſputatione & dialogo, dum valetudinis ergo commorabatur in Euganeis montibus prope Petrarchae aedes, pro hujus defenſione, affluere humanitate, lepore, ſale atque eruditione libero homine digna (1). Sed haec publica luce caruerunt,

(1) *Joſephus Bartolius Patavinus, qui fuit ex Lazzarinii diſcipulis unus, haec de illius dialogis teſtatur*: Vero diſegno delle due Tavolette d' Avorio chiamate Dittico Quiriniano, Ragionamento II. in Parma 1757. Ben è ſciagura, che anche il Nipote dell' immortal Muratori abbia nella bella vita, che del Zio ſteſe, denigrato alquanto la fama del Lazzarini, dipingendolo Autore d' alcune opere, le quali io meglio di tutti poſſo aſſeverare, che infallibilmente ſono dello Schiavo, i cui originali furono preſſo di

quod ſane miror, quia tantus erat amor illius in Italorum Lyricorum principem, ut nihil ſupra poſſet. Qui ajebant idcirco refugiſſe Lazzarinium a prodeundo in publicum, quod melius putabat dicere ſe poſſe, quam ſcribere, quod peringeniosis hominibus, neque ſatis doctis plerumque contigit, minime ſane noverunt vim ejus ingenii atque doctrinae, quae non tam in ejus familiaribus ſermonibus, quam in ſcriptis ſpirabat. Verum ſolitus ipſe, quae chartis mandaverat, maxime intentis oculis,

---

me lungo tempo, e che affatto diverſe ſarebbero quando compoſte l'altro le aveſſe. In difeſa del Petrarca contro il Muratori dettò bensì, ma aſſai civilmente, il Lazzarini certi Dialoghi tra Giovane e Vecchio da me veduti, anzi in parte nella mia puerizia imitati; e contro l' opera poſtuma del Caſtelvetro, maſſimamente in difeſa di Platone, altro lungo ſcritto eziandio formò, cui pure io ricordomi d'aver letto. Per dare autentiche prove di quanto affermo, m'abboccherò in Macerata col nobil nipote del Lazzarini &c.

acerrimeque contemplari, raro ſibi, qui in omni re abſolutionem perfectionemque deſiderabat, ſatisfaciebat, ſaepiſſime etiam quod magna alacritate inchoaverat, ſeponebat, & cum ab eo quaererent amici, quare aliquid ex ſe minime pateretur extare, reſpondebat ſe in ſcriniis relicturum magnorum operum fundamenta, quae ſuſceptione magis prima, quam perfectione eſſent judicanda. Petiit ab eo aliquando vir nobilitate praeſtans, cui propter amicitiam auctoritatemque nil ſe negare poſſe putabat, ut de antiqua ſede Cenomanorum, de qua magna tum orta erat diſputatio inter Scipionem Maffejum Veronenſem & Paullum Galeardum Brixienſem, ſententiam ſuam exponeret, & quamvis ea quae ſcripto mandavit plena eſſent eruditionis, doctrinae, elegantiae atque feſtivitatis, & controverſiam omnino tollere viderentur, ipſa tamen minime vulgavit, neque ab aliis vulgari ſivit. Factum bene ac praeclare a Julio Baitellio, qui três Lazzarinii epiſtolas de hac ipſa quaeſtione ab heredibus impetratas quadriennio poſt mortem illius emiſit. Priori adverſus Maffejum Lazzarinius probat diſtichon illud

Flavus, quam molli percurrit flumine Mela,
Brixia Veronae mater amata meae,

dignum Catullo eſſe, neque aliena manu elegantiſſimae elegiae, in qua Januam loquentem inducit, adſutum, conjiciendumque ex eo Veronenſes aliquando in Cenomanis fuiſſe numeratos, ac proinde Veronam Brixiae ſubjectam, ut capiti, ſeu μετρoπολη gentis Cenomanorum. Cui Veronensis poetae teſtimonio minime adverſari, quae de Cenomanis viciniſque regionibus tradiderunt Polybius, Livius & Plinius, quin immo ab illorum dictis ipſum mirifice confirmari ſecunda atque tertia epiſtola convincit, in quibus de veteri Italiae geographia plura diſſeruntur. Omnino fuiſſe Lazzarinium antiquitatis litterate peritum non ex his modo patet epistolis, ſed ex iis etiam, quae de antiquis Picenis rogatu Mareſuſchii Cardinalis exaravit. Judicium Romae fieri debebat, qui vere Piceni eſſent dicendi, reſque judiciali dicendi genere erat tractanda. Cum autem ipſe abhorreret a re civili, occultari nomen ſuum in iis, quae ſcri-

ſit, concupivit, totumque hoc forenſe negotium prudentiae, atque doctrinae collegarum ſuorum Polenii & Rivae ſe commiſiſſe ajebat. Redolent tamen hac de re ſcripta ejus ſtilum, qui magis etiam apparet in epiſtola quadam ad Fontaninium, qua eruditius propoſitam quaeſtionem diſſolvit. Saepe eveniebat ut Lazzarinius pro ſua humanitate & doctrina de hujuſmodi controverſiis ſententiam exponere rogaretur, & ſiquid habebat, quod docere fideliter poſſet, non illo inſtrumento forenſi, litigioſo, arido, tracto ex juriſconſultorum opinionibus, quod exiguum ſane eſt & mendicum, ſed exquiſitae, & undique collectae & comportatae eruditionis apparatu ſe amicis ſatisfacere debere putabat. Ornabat orationem quaſi colore quodam, & ſucco ſuo, & ſi quid interdum perſecutus eſt acrius, quamvis iſtud cum bonis rebus conjunctum eſſet, & hilariorem orationem faceret, reprehendendum tamen et fugiendum in ſenecta putavit. Sic ille cum proſpera fortuna functus eſſet, & famam, honores, & pecuniam (nam illius ſtipendium ad mille uſque florenos & amplius auctum fuit) et gratiam ob-

tinuiſſet, & valetudine integra ad magnos in ſtudiis excipiendos labores uſus fuiſſet, coepit an. MDCCXXXIII. ſtranguria, febribus, aliiſque incommodis affictari. Fortem ſe praebuit in iis ferendis, & quantum poterat, non intermittebat ſtudia doctrinae, & quae ſui muneris eſſent. Qui in his exequendis negligentem illum fuiſſe affirmant (1) aperte calumniantur; & vir ad omnia ſumma natus, majorem quidem gloriam conſecutus fuiſſet, niſi a conficiendis operibus diſcipulorum ſuorum utilitas ipſum abſtraxiſſet, in qua procuranda neque diligentiorem, neque majorem inveniſſes. Nec valetudinis ſolum incommodis, ſed & animo iis temporibus angebatur, quod Academicis feriis, dum aberat Patavio, a diſcipulo, cui patuit aditus ad bibliothecam ſuam, ablati fuere quidam rariores libri, & quod majus erat, ſcripta ſua de eloquentia atque poetica. Detecto furto, biennio ferme poſtquam illud factum fuerat, occultari voluit, ne

(1) Facc. Faſt. Gym. Part. III. p. 245.

fraus & ſcelus nocentissimi juvenis odio civium, & magiſtratus judicio ſubjiceretur. Hac ipſa vero de cauſſa cum triſticulos vidiſſet fratris ſui filios, quos ſecum habere voluerat propter mores ſuaviſſimos, & propter expectationem, quam ſuorum concitaverant, ſubridens iis inquit: *bono eſtote animo; non deſpero enim quae multis commentationibus multoque labore de poetica litteris mandavi, poſſe me brevi retexere: omnia enim ferme in memoria haerent*. Et manum quidem operi admovit, ſed ne longius procederet magna impedivere valetudinis incommoda. Homo, qui ſuis ſcriptis numquam contentus erat, cum ſemper melius aliquid quaereret, ſic tamen probabat de poetica libros, ut dignos Veneto Senatu, cui deſtinaverat tamquam teſtes ſempiternos meritorum illius erga ſe, ſuaeque pietatis, dignos aetate, uſu, & nomine ſuo putaret. Abhorrebant enim a communibus praeceptis; inveſtigabant ortum, progreſſionem ac vices omnis poeſis generis; a natura, ab Homeri, Pindari aliorumque Graecorum magniloquentia vera deducebant praecepta; optime de poesi meritos Graecos, Latinos, Ita-

los nominabant, & omnem antiquorum, & Ariſtoteleam praeſertim poeticam rationem, interpoſitis undique judiciis, complectebantur. Et in Ariſtotele quidem diuturna meditatione multa ſe inveniſſe dicebat, quae interpretes effugerant, ejuſque diſciplinae ac rationi maxime conſentanea eſſe poemata Homeri, quem non ſolum maximum poetam, ſed & philoſophum ſummum, & plane oratorem, & tragicum fuiſſe affirmabat. Non tanti facere videbatur Lazzarinius dialogos ſex de corrupta eloquentia, quanti faciebat de poetica libros, quia fortaſſe verebatur, ne iis plures ſe laeſos eſſe arbitrarentur; nam quamvis in ſenecta eumdem gereret animum, quem in adoleſcentia habuerat, magnum, excelſum, apertum & ſimplicem, Chriſtianae tamen philoſophiae praeceptis imbutus leniſſime vel cum ipſis inimicis agendum putabat. Sed non facile erat iſtorum animos mitigare, quos laedendi cupiditas effrenata & furioſa ſic rapiebat, ut de Lazzarinio partim ficta aperte, partim effutita temere ſpargere in vulgus minime dubitaverint. Dum aeger erat, noctu ſurrexit e lectulo, & cum aliquid offendiſſet, in terram

cecidit. Nemo ſuorum cum accurriſſet, & cum viribus deſtitutus eſſet, mutus, exanimatus, & vix vivus prima luce inventus eſt. Hinc ſparſus rumor eumdem obiiſſe, quo nuntio laeti ejus adverſarii, qui Venetiis erant, tota urbe diſſeminarunt propter conſcientiam ſcelerum deſperaſſe Lazzarinium ſalutem, & recuſaſſe illa ſubſidia, quae divinitus ſunt inſtituta ad expiandos animos. Res indigna atque intolleranda viſa eſt omnibus, & illam ſicut acerbiſſimam moeruit homo, integer, innocens atque religioſus. Deo vero gratias agebat, quod ſe in vita diutius eſſe ſiviſſet ad maledicta convincenda, ipſumque placandum. Et ſane quot illuſtria dedit exempla pietatis, fortitudinis, conſtantiae, atque manſuetudinis? Vivere illi erat de rebus divinis loqui, legere ſacros libros (& ſubter pulvinar habebat Novum Teſtamentum Graece ſcriptum, a quo ſe maxime recreari & ad ſpem erigi dicebat) & nemo ad eum admittebatur, qui non patientiam virtutemque illius admiraretur. Quo minus vitae ſibi reſtare intelligebat, eo plus religioſi viatici quaerebat, vehementerque poſtulavit, quan-

quam medici judicaſſent, non impendere illi mortem, ut Chriſti Corpus ad ſe deferretur, in quo ſuſcipiendo tantam caritatis vim, tantam praeteritae, caducaeque vitae poenitentiam, & futurae aeternaeque cum beatis ſpem prae ſe tulit, ut omnes, qui aderant, vultu, voce, collacrymatione tanti viri deſiderium ſibi graviſſimum fore oſtenderint. Neque multo poſt ille vitam finivit, cum compleſſet annos LXV. menſes X. dies XXV. Cadaver deportatum fuit ad S. Andreae, ibique ſepultum cum inſcriptione LAZZARINII OSSA. Prope vero ſepulcrum ſcalptum in marmore fuit Graecum epigramma, quod ſibi vivens fecerat. Eſt autem hujuſmodi:

Δομνικος εκ Μουρρου κοσμηθεις ενθαδε κειται,
Ως πικεντινης τηλοθεν εκ πατριδος.

Secundo ferme, poſtquam ille obierat, menſe, Patavina Recuperatorum Academia, pompa, exequiis, quibus nullae celebratiores fuerunt, oratione, quam habuit Joſephus Salius, & carminibus ejus memoriam honoravit, cum adeſſent Decuriones Civitatis, & qui huic

praeerat Senator ampliſſimus Jacobus Sorantius. In ingreſſu Aedis Eremitanorum, in qua exequiae celebratae fuerunt, haec legebatur inſcriptio.

DOMINICO LAZZARINO DE MURRO PATRICIO
MACERATENSI
GRAECARUM LATINARUMQUE LITTERARUM
VINDICI ACERRIMO
ET IN GYMNASIO PATAVINO EARUMDEM
PROFESSORI EXIMIO
QUI CUM DE TOTA STUDIORUM RATIONE
RECTE SENTIRET
QUOD ANIMO SENSIT LINGUA PROMPTUM
HABUIT
AC JUVENTUTEM SIBI COMMISSAM
SINE FUCO ET FALLACIIS
CONTEMPTA IMPERITORUM FABULA
PLURES ANNOS E LOCO SUPERIORE DOCERE
AUSUS EST
ORATORIAE PORRO POETICAEQUE
FACULTATIS GLORIA
CUM PAUCIS CONFERENDUS
PARUM SIBI SEMPER TRIBUIT ANTIQUIS
OMNIA
PIO VERACI CONSTANTI

QUEM DOCTI PROBARUNT SEMIDOCTI
TIMUERUNT
ACADEMICI PATAVINI
NON SINE DESIDERIO ET LACRYMIS
BENEMERENTI FUNUS INSTAURANT
OBIIT IV. IDUS QUINTILES ANNO A. V. P.
MDCCXXXIV.

Typis impreſſa fuere, quae & ſoluta & numeris adſtricta oratione de Lazzarinii laudibus dixere Academici, aliique extitere homines clariſſimi, qui epiſtolis & carminibus (1) flebiliter lamentati ſunt de tanti viri morte, perinde ac ſi illa magnum feciſſent detrimentum Graecae, Romanae Italaeque litterae. Ii vero quem vivum ſauciaverant, mortuum etiam lacerarunt, ut renovaſſe exemplum mihi videantur illorum Graecorum, qui Neſtoris cadaveri, ſicuti eſt apud Homerum, ab Achille interfecti

(1) *Ex multis commemorare lubet elegias Latinas Antonii Vulpii, & Caſtrucci Bonamicii, quibus nihil fieri potuit elegantius atque honorificentius.*

cti turmatim circumſiſtentes, impune conviciabantur. Verum ſi contemnimus, & abjectos illos putamus, qui mortuos & non reſponſuros lingua & calamo hoſtiliter adoriuntur, non videbimur nimium Lazzarinii laudi favere. Fortaſſe vel ipſe vivus, poſtquam adoleſcentiae impetus deferbuerant, & partae exiſtimationis fructibus fruebatur, conviciatorum maledicta erecto excelſoque animo deſpexiſſet. Poterat enim omnia ſibi adſciſcere, quae ſunt magnorum virorum, glorioſumque illi erat graves ſe ſuſcepiſſe inimicitias, propterea quod in optimis ſtudiis defendendis a bonorum cauſſa conſtantiſſime ſtetiſſet. Neque credibile eſt qui metu non frangebatur, eum frangi gloriolae cupiditate. Quapropter qui ei dant vitio, quod turpiter laudes nonnullorum mercaretur, admodum mentiuntur (1). Tam enim aberat ab hac culpa,

---

(1) *Ita elegans, ſed maledicus ille exagitator multorum doctrina excellentium virorum Lucius Sectanus Quinti F.* Serm. III.

ut hanc in aliis tanquam levis ſibique diffidentis animi ſignum & ſaepe & libere reprehenderet. Quis vero eſt, qui non gaudeat conſentienti laude bonorum, incorruptaque voce bene judicantium de excellente virtute, quorum teſtimoniis ſi interdum utebatur Lazzarinius ad retundendos ſermones maledicorum conviciatorum, aut ad amovendam ab ſe aliquam ſuſpicionem (1) non propterea aut levis, aut aura captus frivola, aut ſuperbus erit dicendus? Illae autem virtutes, quae in

. . . . . . Ad ſuperos Juvenem Salvinus Ulyſſem
Evehit; Etruſcum laudat Murranus Homerum,
Sic aſinos videas coſtas conjungere coſtis,
Officioque pari ſe ultro citroque fricare,
Quod neuter faceret, fieri niſi poſſet utrinque.

Carpitur & in aliis locis horum ſermonum Lazzarinius, neque aliter fieri poterat, cum ab homine Jeſuita illi prodiiſſent,

(1) *Vide ejus Latinam epiſtolam ad Gerardum Capaſſum, quam nos edidimus in fine hujus hominis vitae.* Tom. VII. pag. 253.

ingenii facultatibus, quae in juſtitia, fide, conſtantia ac beneficentia ſunt poſitae, quaeque generi hominum maxime ſunt fructuoſae, tam altas in Lazzarinio habebant radices, ut nulla unquam vi labefactari potuerint. Ex quo fiebat, ut qui propius ad illum accederent, mirifice ipſum & colerent & diligerent. Et ſi ex his quidam fuerunt, qui dum elaborarunt in ejuſdem ſcriptis colligendis atque edendis, ſuorum potius, quam Lazzarinii judicio uſi ſunt, ſic ut probaverint quae ipſe improbabat, & quaedam etiam ab aliis impetrata, ut ſe liberaret moleſtiis, quibus affici ſolet poetarum genus, illi tribuerint, erraſſe nobis videntur cum excuſatione amicitiae & pietatis. Sane quis tam iniquus eſt, quem non moveant Facciolati dicta adverſus Benalium (1), quo neminem diſcipulum ſtudioſiorem habuit Lazzarinius, quod omnem curam ac diligentiam poſuit in illius orationibus aliiſque ſcriptis, quae invenire potuit, vulgandis? Nos

---

(1) Faſt. Gym Pat. Part I. pag. LXII.

quidem illi gratiam non mediocrem habendam putamus, ut & multam habemus Antonio Lazzarinio, qui commentarium de patrui vita edidit, multiſque monumentis ornavit, quae dictorum fidem faciunt, ejuſque adverſarios non inhumanitatis ſolum, ſed etiam amentiae convincunt. Quia vero ingenii virtutes non tam diſciplina & exercitationibus, quam natura corroborantur, abſtinuit ſemper Lazzarinius ab iis, quae optimam corrumpere potuiſſent: ſomni, cibi potioniſque parciſſimus, voluptatum, quae animos a virtute detorquent & corpora enervant ſeveriſſimus contemptor, munditiei non odioſae amator, talis denique vir, quem poſteritas admirari & recordari ſuaviſſime debeat.

OPERA EDITA.

Praeſatio *ad ea, quae exaravit F.* Alexander de Burgos Meſſanenſis Theologus Ord. Min. Conv. & Hiſt. Eccl. Profeſſ. de Eccleſiaſticae Hiſtoriae in Theologia auctoritate atque uſu. Peruſiae 1702.

Dominici Lazzarini ex Nobilib. de Murro Epiſtola ad Amicum Pariſienſem pro Vindiciis antiquorum Diplomatum Juſti Fontanini Forojulienſis. Romae per Franciſcum Gonzagam 1706. *Non Romae, ut titulus prae ſe fert, ſed Pariſiis liber impreſſus fuit a Dezallierio.*

Dominici Lazzarini &c. Defenſio in P. Bartholomaeum Germonium edita ſtudio Cajetani Lombardi Philoſophi & Medici Neapolitani. Venetiis per Nicolaum Pezzana 1708. *Haec & alia, quae de hac controverſia litteris mandavit Lazzarinius, retulit in volumen illius ſcriptorum, quod Romae edidit an. 1743. typis Pallearinianis Franciſcus Benalius, de quo infra dicemus. De hac defenſione vide vol. III.* del Giornale de' Letterati d'Italia. Venezia 1710.

Libro degli Dei e del mondo di Salluſtio Filoſofo Greco. *Extat in libro, cujus haec eſt inſcriptio;* Oſſervazioni critiche del Sig. Girolamo Baruffaldi Ferrareſe, nelle quali eſaminandoſi la lettera toccante le conſiderazioni del March. Giovan Giuſeppe Orſi ſopra la maniera di ben penſare ne' com-

ponimenti ſcritta da un Accademico &c. ſi trattano varj argomenti rettorici, poetici, che appartengono alla filoſofia, alle belle lettere, e ad altre facoltà ſcientifiche. In Venezia preſſo Gabriello Hertz 1710. in 8.

Dominici Lazzarinii de Murro oratio I. pro optimis ſtudiis habita in Gymnaſio Patavino non. Maii 1711. apud Joannem Manfrè 1711.

Uliſſe il Giovane, Tragedia; in Padova appreſſo Gio. Batiſta Conzatti 1720. in 8. *Alibi quoque ipſa impreſſa fuit. Vide ſis quae de hac Tragoedia ſcripſit Franciſcus Algarottus in epiſtola ad Albergatum Senatorem data. Dum enim illam ſummis laudibus effert, ait Lazzarinium non ſolum ſumpſiſſe multa feliciſſime a Sophocle, ſed etiam non pauca in melius immutaſſe.*

Dominici Lazzarinii Oratio in funere Fortunati Mauroceni, Brixienſis Epiſcopi: Ferrariae typis Joſephi Barberii 1728. in 4. & Venetiis eodem anno apud Angelum Paſinellum.

Orazione detta a nome della Città di Padova in lode dell'Illuſtriſſimo ed Eccellentiſſimo Sig. Alviſe Moccenigo III. Capitanio nella partenza dal ſuo glorioſo Reggimento, e che fu poi Doge di Venezia, compoſta dal Sig. Abate Domenico Lazzarini: In Venezia per Domenico Occhi 1732. in 4.

La Saneſe Commedia dell' Ab. Domenico Lazzarini da Morro Macerateſe dianzi Profeſſor di Lettere

Greche, e Latine nell'Univerſità di Padova. Venezia appreſſo Pietro Baſſaglia 1734, 1739. 1743. e 1752.

Poeſie del Sig. Abate Domenico Lazzarini Macerateſe Profeſſore di Lettere Greche e Latine nell'Univerſità di Padova, aggiuntivi altri poetici componimenti di diverſi in morte dell'Autore. In Venezia preſſo Gian Gabriello Hertz 1736. in 8. *Varia Lazzarinii carmina vel ſeparatim, vel cum aliorum Poetarum Carminibus impreſſa antea fuerant. Hoc in libro omnia collecta fuere, & vel ea, quae ipſe improbabat, & fortaſſe quaedam in iis ſunt ab ipſo non facta. Primum locum obtinent quinquaginta & amplius, ut dicimus,* Sonetti, *quibus miſcentur novem uſque* Canzoni. *Haec ſubſequuntur;* Tragedia Uliſſe il Giovane, il Tobia Sacra rappreſentazione, verſione dell'Elettra di Sofocle colle annotazioni dell'Autore, *& poſtremo* Rime aggiunte con un ſaggio di verſi Latini. *In hoc additamento praeter Latina, & Graeca carmina numero pauca extant triginta ferme* Sonetti.

Oſſervazioni ſopra la Merope del Sig. March. Scipione Maffei, ed altre varie operette, parte finora quà e là diſperſe, parte non pubblicate dal Sig. Abate Domenico Lazzarini di Morro Patrizio Macerateſe, già pubblico Profeſſore di Lettere Greche, e Latine nell'Univerſità di Padova, dedicate all'Eminentiſſimo, e Reverendiſſimo Principe Don Proſpero Colonna di Sciarra, Cardinale della S. R. C da

Franceſco Benaglio Trivigiano, in Roma nella Stamperia di Niccolò, e Marco Pagliarini 1743. in 4. *Benalius, quo nullum cariorem habuit diſcipulum Lazzarinius, retulit in hoc volumen magnam partem eorum ſcriptorum, quae ſupra commemoravimus, promiſeratque ſe alterum volumen editurum, quod morte impeditus non perfecit. In iis, quae praefatus eſt, multa ſane Praeceptori honorificentiſſima, & legentibus ſcitu digniſſima narravit. Cetera inter affert Latinum Dialogum habitum olim inter eumdem Lazzarinium, Alexandrum Burgoſium, ſeu ut alii malunt Burgos, & egregium adoleſcentem Columnam, cum ſe ſe Arquadam, ubi divini Petrarchae oſſa cubant, colligendi animi gratia contuliſſent. De Columna vero, ut Lazzarinii mirificum in illum ſtudium magis magiſque probaret, affert verſus duos Jambicos Graece concinnatos, qui omnium oculos effugerant, & queis nihil venuſtius, purius, tenerius (emerſerat enim Columna ex incommoda valetudine) fieri ab ipſo Euripide potuiſſet.*

Extat quoque in eodem volumine Oratio ſecunda pro optimis ſtudiis habita in Gymnaſio Patavino an. MDCCXII. *Non ſolum in orationibus, ſed etiam in acroaſibus ſuis renovabat Lazzarinius querelas adverſus eos, qui aut incautis, aut improbis praeceptis eloquentiam corrumpebant, hac in re fortaſſe ſimilis Horatiano citharoedo,*

.... chorda, qui ſemper oberrat eadem.

Extant etiam in ipſo volumine

Oſſervazioni ſopra la traduzione Toſcana di Lucrezio fatta da Aleſſandro Marchetti indirizzate in forma di lettera a Monſignor Niccolò Caſoni. *Hae obſervationes extant etiam in ipſa Lucretii interpretatione edita Londini, ſeu verius Venetiis 1764. in 8.*

Epiſtolae. *Ex his tres, quibus probatur Veronam fuiſſe in Cenomanis, editae fuerunt in libro, cui titulus:* Memorie Iſtorico-Critiche intorno allo antico ſtato de' Cenomani, ed a' loro confini. In Breſcia dalle ſtampe di Gian Maria Rizzardi 1750. in fol. *Extant alibi aliae ejusdem Epiſtolae tum Latinae, tum Italicae, quas ſingulas commemorare minime neceſſe arbitramur. Majora ſane a Lazzarinio habuiſſemus, ſi accuratius ſua conſervaſſet, & inchoata perfeciſſet. Cum amici aliquid ab eo exigebant, tum ad ſe excuſandum, tum ad ceteros reprehendendos reſpondere ſolitus erat;* excitanda eſt animadverſio & diligentia, ut ne quid temere ac fortuito, inconſiderate negligenterque agamus.

ANGELUS FABRONIUS

JO. BAPTISTAE CASPARI

D'ANSSE DE VILLOISON S. P. D.

M*Agna eſt hominum opinio de Joannis Mariae Mazzuchellii eruditione, magna commendatio ſcriptorum, magna memoria virtutum illius. Ea propter vitam ejuſdem Latinis litteris mandare decrevi, in quo non juſtum modo, ſed & pium officium ei perſolviſſe facile judicabor. Qua enim pietate ipſe fuit erga eos, qui litterarum quaſi parentes extitere, in quorum factis exquirendis atque hiſtoriae monumentis conſignandis totam vitam contrivit, eadem erga ipſum nos eſſe decet, ac maxime partes iſtius officii meae eſſe videntur, quod ingreſſus ſum ſcribere de Italis doctrina excellentibus. Quod enim munus afferre majus Reipublicae, meliuſve poſſumus, quam proponere ante noſtrorum oculos memoriam atque imagines*

ſummorum virorum, quos imitentur, & vincant etiam, si id aſſequi ſe poſſe confidant? Neque ſane aliter tu feciſti, cum obverſarentur tibi illuſtria exempla Gallorum tuorum, qui in litteris Graecis colendis magnam adeo & utilem operam poſuerunt, ut ipſae per eos maxime ad ſummam amplitudinem perveniſſe videantur. Ex illo quidem maximus eſt fructus, jucunditaſque homini ſapienti, cum eos ſe poſſe aemulari vidit, qui doctrinae gloria praeſtiterunt; atque dum commemorabuntur nomina (commemorabuntur autem dum honos erit litteris) Budaei, Henrici Stephani, Salmaſii, Caſauboni, aliorumque hujuſmodi plurimorum, tuum quoque nomen celebrabitur, ut pote qui nulli eorum fueris ſecundus. Atque ut omittam multa, quae ex Graeco in Latinum convertiſti, eruditiſſimiſque commentariis illuſtraſti, quas tibi gratias agere non debent Litterarum Graecarum ſtudioſi, quod nuper illum Poetarum quaſi Deum, Homerum non edidiſti modo ex pervetuſto, qui a Beſſarione Cardinali poſſidebatur, codice, ſed ita illuſtraſti, cum de variis ſcribendi, interpungendi modis, uten-

Digitized by Google

dique criticis, ut loquimur, ſignis, de variis antiquiſſimis ejuſdem editionibus, ac praeſertim duabus illis, quas Ariſtarchus confecerat, de difficultatibus, quas veteres in eodem explicando invenerunt, & de diverſis Graecorum dialectis docte & erudite diſſerueris, ut adſpirare ad laudem ejuſdem Ariſtarchi poſſis, de quo vere dicebatur, haud Homericum eſſe, quod ipſe non probaſſet. Neque ego ſum ita demens, ut in te commendando aliquam ingenii gloriam conſequi, vel aliquid immortalibus laudibus tuis addere me poſſe putem; ſatisfacere tantummodo amori erga me tuo volui, cujus ut publicum teſtimonium aliquod extet, a te vehementer flagito, ut commentariolum de Mazzuchellii vita in tuo nomine apparere ſinas. Hujuſmodi ſolent eſſe munera eorum, qui litteris dant operam, parvique refert quod ſint levidensia. Ea enim offerimus, quae ſunt noſtrarum virium, noſtrique ingenii; & ſi quid arte, cui inter ingenium & diligentiam perpaullum loci reliquum eſt, me valere judicabis, oleum & operam in hoc concinnando commentariolo me non perdidiſſe

arbitrabor. Vale; & fac animo forti magnoque ſis, ſpereſque fore, ut fracto impetu leviſſimorum hominum, qui nil niſi quod novum eſt probantes avocare nos adlaborant a veteribus exemplaribus, tum Graecae, tum Latinae litterae ſuam priſtinam dignitatem & gloriam conſequantur. Cupio a te audire quid nunc agas, & quae pares; nec ſane mirabor te tuis, ut egregium artificem, praeclaris operibus laetari. Iterum vale.

Piſis III. *Non. Mart.* MDCCLXXXIX.

Digitized by Google

Jo. Maria Mazzuchellius.

Joannes Maria Mazzuchellius veteri & illuſtri familia natus eſt Brixiae V. Kal. Novembres an. MDCCVII. Parentes illi fuerunt Fridericus Mazzuchellius vir apud ſuos clarus geſtis magiſtratibus, juris civilis ſcientia & honoribus a Veneto Senatu impetratis (Comes enim & S. Marci Eques creatus fuit) & Margarita Muzia, quae orbata viro Sciarra Martinengo, ſecundo nupſit Muzzuchellio. Joannes Maria, qui ſecundus erat ſuſceptorum ab iis liberorum, duro admodum initio uſus eſt adoleſcentiae. Nam cum lacte nutricum, quarum ſeptem uſque habuit, gracilitatem & infirmitatem corporis ſuxiſſe viſus eſt; ophthalmia ad ſeptimum uſque aetatis annum ſic laboravit, ut lumina amiſerit, eorumque recuperandorum ſine mirabili quadam ope divina nulla ſpes eſſet; cum vero repentino illa recuperaſſet, atque ſua ſponte & cohortatione parentum ad ea ſtudia, quibus pueri ad humanitatem informari ſolent, con-

citaretur, nactus eſt praeceptores aſperos & pene agreſtes, qui ignari faciundae orationis, toti erant in Grammaticorum tricis inculcandis, a quibus natura Mazzuchellius ſemper abhorruit. Ex quo factum eſt, ut tum ad eas artes, quae poſtea tantam gloriam illi pepererunt, durior videretur. Ad ipſas aditum eidem patefecere, dum Bononiae in Collegio S. Franciſci Xaverii quadriennium commoratus eſt, Jeſuita Xaverius Quadrius, & qui in eodem Collegio geographiam & Gallicam linguam docebat, Vandellius, ut vero impenſiſſime easdem coleret, factum eſt praeceptis & voce Dominici Lazzarinii, quem Patavii audivit, dum in illius urbis Lyceo juris prudentiae operam dabat. Horum ſtudiorum curſum interrumpere illum coegerunt nuptiae, quas anno MDCCXXVIII. cum Barbara filia & herede Philippi Chizzolae junxit, ex quibus bona, liberos uſque XII. & multarum virtutum exempla ad hos ſancte & liberaliter educandos habuit. Cum illum vero ad certam laudem adhortaretur Paullus Galeardus Canonicus Brixienſis, cum adhortabatur ad hiſtoriam litterariam Italiae illuſtrandam, tantum amiciſſimi hominis

conſiliis tribuit, ut coeperit magnam ſibi comparare librorum copiam, quae ad eam rem non ſolum utilis, ſed etiam neceſſaria eſſe videbatur. Quid in hoc ſcriptionum genere poſſet vel ſeveriſſimis diligentiſſimiſque inquiſitoribus ſe probaturum confidit, cum an. MDCCXXXVII. emiſiſſet Archimedis vitam, neque multo poſt Petri Abani, Petri Aretini, Franciſci Ariſii, Aloyſii Alamannii, & Jacobi Bonfadii vitas, quas omnes ſeparatim & diverſis temporibus edidit. Quod in Archimedea neceſſe erat de rebus mathematicis loqui ad prorſus mirabilia inventa Graeci geometrae exponenda, conſuluiſſe fertur hominem e Franciſcana familia clarum Fortunatum a Brixia, quanquam ſatis in his ſtudiis, ut & in philoſophia inſtructus eſſe judicaretur. Nemini autem dubium eſſe poteſt, cum de inſignibus ad laudem viris ſcribebat Mazzuchellius, quaeſiiſſe illum incredibili prope diligentia quidquid de iis memoriae proditum erat, monumenta & teſtimonia ſuis ponderibus, hoc eſt accuratiſſimis, examinaſſe, & inter ſe comparaſſe, nihil affirmaſſe niſi quod verum, aut vero ſimile eſſet, ut aut accuſetur invide, aut pro-

probabiliter defendatur, & eam Etruſcae dictionis elegantiam adhibuiſſe, quae non habet in ſe quidquam admixtum diſpar ſui atque diſſimile (in ea enim devenimus tempora malo Italarum litterarum fato, ut nil probare videamur, niſi quod peregrinum oleat) & quae commendatur hoc ipſo, quod ſimplex eſt, & plane & perſpicue res narrat. Quo plura erant in Mazzuchellio virtutis & induſtriae ornamenta, ut jam nec melior civis & amicus, nec vir clarior in patria eſſe videretur, eo avidius multi ejus familiaritatem appetebant. Ne vero iraſceretur aut intempeſtive accedentibus, aut importune rogantibus obſtabat ejus ſingularis humanitas, qua omnes complecti, omnibuſque lumen conſilii & ingenii ſui porrigere ſolitus erat. Atque hoc teſtabatur mihi familiaris homo, vidiſſe ſe in illius domo florem juventutis & nobilitatis, qui ſic exercebatur ab eo, ut octavo quoque die aliquid proferretur, quod ad excolendas litteras & ſtudia ſua pertineret. Non iis delectabatur, aut utebatur omnino, quae in ſumma inanitate verſantur, multoque minus iis, quae animos aut deterrent,

aut avocant a religione. Quae conducunt ad moderandam hominum vitam tanquam navigium aliquod fluitans in alto tempeſtatibus diſtortarum & pravarum affectionum, illamque oblectandam ſuavitate politioris humanitatis, in qua perjucunde verſari homines ſolent, illi in amore atque deliciis erant (1). Qui tum fortunatiſſimus comitatu nobilium juvenum optimarumque artium habebatur, ſe ab iis ſejungere debuit, ut patriae ſerviret. Huic jus erat aliquem ex ſuis nobilibus civibus eligere, qui imperium exerceret in Aſulanos, quod cum aut tollere, aut infirmare tum potentes quidam adlaborarent, miſſus eſt Venetias Mazzuchellius, qui apud Senatum Brixienſium ſuorum cauſſam defenderet. Habuit ſane ejus legatio exitum felicem, neque poſtea res ulla major accidit, de qua eſſet

(1) Extant bina volumina ſic inſcripta: *Diſſertazioni iſtoriche ſcientifiche, ed erudite recitate da diverſi Autori in Breſcia nell'adunanza letteraria del Sig. Conte Giammaria Mazzuchelli. In Breſcia preſſo Giammaria Rizzardi 1766. in 8.*

agendum cum Venetis Senatoribus, quae non credita Mazzuchellii prudentiae dexteritatique fuerit. Ob haec in patriam merita ſtudio civium, ipſiuſque Veneti Senatus judicio multi delati illi fuere honores, atque data graviſſima mandata. Praefuit patrio aerario, aedificationi majoris Eccleſiae, & armorum fabricationi, fuit annonarius judex, curam ſuſtinuit ſilvarum & militarium ſtationum, quando Italia, ac praeſertim Ciſalpina Gallia ardebat bello, quod erat Hiſpanos inter & Auſtriacos, arbiter & judex fuit, idque Principis juſſu, quarumdam controverſiarum, quae ejuſdem belli cauſſa vel inter Brixienſes, vel inter hos & vicinos populos extitere, alia plura diſſidia pacificator prudentiſſimus compoſuit, miſſus eſt Mediolanum, ut tecta eſſent jura Brixienſis coenobii (nomen huic S. Juliae) in bona quaedam in agro Cremonenſi poſita, in quibus aliiſque mandatis exequendis nunquam non perutilis ejus & opera & fidelitas judicata eſt. Donatus aliquando fuit a Veneto Senatu aureo enſe, adeo illi pergrata fuit diligentia & aſſiduitas Mazzuchellii in moderandis iis rebus, quae ad fa-

bricationem armorum pertinent. Regebat tum Brixienſem Eccleſiam Angelus Maria Quirinius, a quo Mazzuchellius paroeciae cujuſdam cauſſa, quae prope Celiverganium ſuum, ubi ruſticabatur, erat inſtituenda, diſſenſit; quae diſſenſio conjuncta cum illa, quam commovit Cardinalis ipſe de Petri Aretini vita, licet interruperit officia, quae perſolvere homini eruditione & nobilitate ſumma ſolitus erat Mazzuchellius, hic, reconciliata gratia, intermiſſa cumulatius reddidit. Contendebat Quirinius culpandam Mazzuchellii negligentiam eſſe, quod mentionem, ut ipſe ajebat, minime feciſſet cujuſdam Aretini epiſtolae, ex qua conjectura fieri poterat, hominem impuriſſimum ad ſanam mentem aliquando rediiſſe; ſed facile fuit Mazzuchellio, qui omnia minima videbat, probare, nihil ſibi effugiſſe, atque omne, quod erat in re, diligentiſſime adnotaſſe. Sane neminem inveneris, qui illum aequaverit diligentia in hujuſmodi rebus inquirendis, ut in principibus, qui litterariam hiſtoriam apud nos tractarunt, jure meritoque numeretur. Nuntiaverat jam fama illum brevi opus de Italicis ſcriptoribus,

in quo jamdiu elaborabat, emiſſurum, cujus primum volumen binas in partes diviſum cum an. MDCCLIII. in lucem prodiiſſet, omnium expectationem ſuperavit. Tanquam ratis in mari immenſo ejus vehitur oratio. Sunt enim plurimae artes, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continentur, & innumeri homines, qui in iis ab antiquiſſimis ad haec uſque noſtra tempora floruerunt, de quibus ſingulis dicere ſibi propoſuit Mazzuchellius. Optandum erat, ne ipſe tam dilataſſet operis argumentum, eorumque tantummodo rationem habuiſſet, qui omnium judicio bene & praeclare de litteris meriti eſſe putantur. Sed ipſe contulit diligentiam ſuam ad conquirenda facta non ſolum eorum, qui in primis, ſecundis & tertiis ſubſelliis conſiſtunt, ſed & eorum, qui longe infra haec ſunt, de quibus aliquid ſcire parum intereſt. Pergrata tamen multis haec ſedulitas erit. Si cui vero Mazzuchellius videbitur diligens magis alienorum judiciorum exquiſitor, quam acutus propriorum narrator in iis praeſertim rebus, quae ad magnarum artium diſciplinas pertinent, quaeque tot mutationes viciſſitudineſque habue-

runt, non vehementer illi repugnabo. In ea, in qua nunc verſamur philoſophiae luce, quae in omni ſcientia dominari videtur, non poſtulamus modo, ſed exigimus ab iis, qui litterariam hiſtoriam illuſtrandam ſuſceperunt, ut non tam deſcribant facta & mores doctorum virorum, quam ut cuique tantum aſſignent laudis, quantum quiſque meritus eſt in ſuis edendis ſcriptis, ut facile intelligi poſſit, qui ſint principes & inventores, qui auctoritatis & inventionis comprobatores atque aemuli, qui correctores & everſores, & quibus denique gradibus ad illa ſumma atque in omni genere perfecta pervenire potuerimus. Id nos fortaſſe minime perficimus, dum vitas Italorum quorumdam doctrina excellentium Latinis litteris mandamus; conati quidem ſumus. Operis omnium fortaſſe maximi volumen II., quod vitas hominum continet, quorum nomina a ſecunda alphabeti littera incipiunt, quatuor in partes, totidemque in volumina diviſum eſt, & hic illud conſtitit. Ajunt plurima paraſſe Mazzuchellium ad cetera contexenda volumina, quae omnia quinquaginta atque amplius millia vitarum complecti debebant;

ſed ut nemo pictor eſt inventus, qui Veneris eam partem, quam Apelles inchoātam reliquit, abſolveret, ſic neminem fore exiſtimo, qui rem tantam a Mazzuchellio ſuſceptam ad exitum perducere conetur. Cetera, quae ille edidit, ſi illa excipias, quae ad illud ipſum opus pertinere poterant, quorumque indicem infra dabimus, tanti non ſunt facienda, ut in iis declarandis immorari debeamus. Atque hoc in Mazzuchellii laude ponendum arbitror, quod, ut multi ſolent, plura ac varia in ſtudia noluit induſtriam ſuam diſtrahi; quae ſibi obtigerat, σπαρταν nunquam deſeruit, ſicque ornavit, ut per eam immortalitati fuerit commendatus. Neque mors ei famam peperit. Nam, vel dum in vivis fuit, nemo non ejus doctrinam & virtutem honoravit. Adſcitus in illuſtriores Italiae Academias fuit, e quibus nominare lubet Bononienſem *Inſtituti*, et noſtrates Furfureorum & Apathiſtarum, Columbariam atque Cortonenſem; numiſmata illi cuderunt amici, & vel inter Siculos inventus eſt homo nobilitate & doctrina praeſtans, qui illius imaginem in lapide opere anaglyptico caelandam curavit. Profecto nemo

Digitized by Google

magis idoneus Muzzuchellio fuit ad parandas retinendaſque amicitias, & homo florens aetate, opibus, honoribus, ingenio, gratia, liberis, propinquis, affinibus, amicis, & exiſtimatione integritatis, innocentiae atque prudentiae adeo diligebatur a Brixienſibus ſuis, ut nihil non illius cauſſa vellent. Ad has res obtinendas magnam vim habuit excellens naturae bonitas, quam ut corroboraret praeclaris inſtitutionibus, quae auctores & magiſtri ſanctitatis & purioris religionis tradiderunt, omni vitae tempore curavit. Hac indole virtutis & continentiae reſpuebat omnes voluptates, & cum admonebatur a ſuis, ut intermitteret ſtudia doctrinae, quae vel in maximis rerum publicarum occupationibus colebat, reſpondere ſolitus erat, etſi corpora interdum defatigatione & exercitatione ingraveſcant, nunquam non animos ſe exercendo levari, omneſque homines in ſua arte exercenda mori debere. Indulgentia in liberos fuit magna, hancque, ut & mores humaniſſimos ſic temperavit gravitate, ut dubium eſſet, utrum ſui illum magis amarent, an vererentur. Ob ſummam in Deum & homines

caritatem nullum gratius a patria munus accepit, quam ut praeeſſet carceribus, & quidquid illi committebatur, in quo ſalus & utilitas hominum contineretur, diligenter adeo curabat, ut ſuam, non alienam rem agere videretur. Uxorem ſane caſtiſſimam & ſanctiſſimam, cum VII. id. Novembris an. MDCCLXV. amiſiſſet, lenivit illius deſiderium ſpe ipſam brevi reviſendi, neque multos poſt dies idem vitam finivit. Commune cum femina, quacum conjunctiſſime vixerat, ſepulcrum habere voluit, in quo hoc elogium inſcriptum eſt.

D. O. M.

JO. MARIA . COMES . MAZZUCHELLI.

ET.

BARBARA . CHIZZOLA,

CONJUGES.

NOBILES . BRIXIANI.

HIC . REQUIESCUNT.

HAEC . PIETATE . IN . DEUM.

LIBERALITATE . IN PAUPERES.

ALIISQUE . VIRTUTIBUS.

CONSPICUA.

OBIIT . VII. DIE . NOVEMBRIS.

MDCCLXV.

AET. AN. LVII.
ILLE . ORBI . LITTERARIO .
NOTISSIMUS .
MORUM . INTEGRITATE .
INSIGNIS .
PRINCIPIBUS . VIRIS . CIVIBUSQUE .
CARUS .
OBIIT XIX. D. NOVEMBRIS
MDCCLXV.
AET. ANN. LVIII.

Digitized by Google

OPERA EDITA.

Notizie ſtoriche, e critiche intorno alla vita, alle invenzioni, ed agli ſcritti di Archimede Siracuſano del Conte Giammaria Mazzuchelli Breſciano. In Breſcia per Giammaria Rizzardi 1737. in 4. *Hujus operis epitomen retulit Mazzuchellius ipſe in* Vol. I. part. II. *degli Scritrori d' Italia.*

Notizie ſtoriche e critiche intorno alla vita di Pietro d' Abano, dette dal Conte Giammaria Mazzuchelli in una Letteraria converſazione a' 4. di Settemb. 1738. *Extant in* Tom. XXIII. *Collectionis Calogerianae, & in* Vol. I par. I. degli Scrittori di Italia.

La Vita di Pietro Aretino ſcritta dal Co. Giammaria Mazzuchelli, in Padova per Giuſeppe Comino 1741. in 8. *Magnam ſane ab hoc libro, in quo comparet eruditio, diligentia & elegantia ſingularis laudem obtinuit Mazzuchellius. Ejusdem vitae epitomen retulit ipſe in* Vol. I. par. 2. degli Scrittori di Italia. *Aliud & fecit Gallus Praeſul Boisprous, ſed in multis ipſe peccavit.*

Riſtretto della Vita di S. Pancrazio. In Breſcia per Marco Vendramino 1741. in 8.

Notizie intorno alla vita e agli ſcritti del Canonico Paolo Gagliardi Breſciano. *Extant in* Tom. XXVII. *Coll. Calogerianae, & in Ephemeridibus Lamianis an. 1757.*

Lettera intorno alla Perſona, e agli ſcritti del Dott. Franceſco Ariſi Cremoneſe &c. *Extat in Coll. Calogeriana* Tom. XXXI. *& in Vol. 1. par. 2.* degli Scrittori d'Italia.

La Vita di Luigi Alamanni Fiorentino ſcritta dal Co. Giammaria Mazzuchelli Accademico della Cruſca. *Edita ſemel iterumque fuit Veronae, & Venetiis cum Alamannii carminibus. Relata etiam fuit in* Vol. 1. par. 1. degli Scrittori d'Italia.

La Vita di Jacopo Bonfadio ſcritta dal Co. Giammaria Mazzuchelli, Accademico della Cruſca. *Bis edita fuit Brixiae cum operibus Bonfadii & relata in Volumen* II. degli Scrittori d'Italia. *Auxit ipſam poſtea Mazzuchellius; & defendit ab iis, qui falſo contendebant minime natum Bonfadium fuiſſe Brixiae, & Brixiana familia. Hac de cauſſa ſuorum civium rogatu ipſe edidit Brixiae 1748. libellum, cui titulus.*

Lettera del Co. Giammaria Mazzuchelli, in cui ſi tratta della Patria di Jacopo Bonfadio, e dello ſtato antico, e preſente della Riviera Breſciana.

Prefazione a' Componimenti detti in una letteraria adunanza nel nuovo Tempio de' Padri di S. Filippo Neri della Congregazione di Breſcia ne' giorni della ſua ſolenne conſacrazione, fatta nell' an. 1746. in Breſcia per Gimmaria Rizzardi 1746. in 8.

Catalogo delle medaglie di uomini letterati. *Vide ipſum in Voluminibus XXXV. XXXX. XLII. Collect. Calogerianae. Cum Mazzuchellius nunquam finem*

feciſſet augendi hujus ſui Muſaei, quod viris illuſtribus omnium populorum conſecravit, occaſionem dedit operi, quod inſcribitur. Muſaeum Mazzuchellianum, ſeu Numiſmata virorum doctrina praeſtantium, quae apud Jo. Mariam Comitem Mazzuchellum Brixiae ſervantur, a Petro Antonio de Comitibus Gaetani Brixiano Presbytero, & Patricio Romano edita atque illuſtrata. Accedit verſio Italica ſtudio Equitis Coſmi Mei elaborata Vol. 2. in fol. Venetiis. Typis Antonii Zattae.

Le Vite di Uomini Illuſtri Fiorentini ſcritte da Filippo Villani ora per la prima volta date alla luce colle annotazioni del Co. Giammaria Mazzuchelli Accademico della Cruſca: in Venezia per Giambatiſta Paſquali 1747. in 4. *In hoc opus multa addidit Mazzuchellius, quae minime emiſit. Quod Jannes Lamius in ſuis Ephemeridibus quaedam adnotavit, quae emendatione digna putavit, ei per litteras gratias egit Mazzuchellius, quamvis non omnes animadverſiones probaret. Nemo enim illo magis abſuit a rixis*.

Lettere due, e notizie intorno la Vita del P. Stanislao Santinelli Somaſco. *Extant* nelle memorie iſtoriche del medeſimo in Venezia per Giovanni Radici 1749. in 8.

Lettere quattro. *Extant in libro, qui inſcribitur*. Private Diſavventure di una Donna di vero ſpirito, oſſia Vita della Signora Paolina Rubbi Conteſſa Carli-Rubbi, in Lucca preſſo Filippo Maria Benedini 1750.

Notizie Storiche Critiche intorno agli ſcritti, e alla Vita di Scipione Capece. *Extant cum poemate de Vate Maximo ejusdem Capecii edito Patavii apud Joſephum Cominum 1751. in 8., & Venetiis apud Remondinios* 1752. 1754. in 8.

Notizie Storiche, e Critiche intorno a Coſtantino Grimaldi Patrizio, ed illuſtre ſcrittore Napoletano. *Extant in Vol. XXXXV. Coll. Calogerianae.*

Notizie intorno alla Vita, e alle opere di Antonio Fileremo Fregoſo Nobile Genoveſe. *Extant in Vol. XLVIII. Coll. Calogerianae.*

Notizie intorno a Giuſto de' Conti Romano Poeta volgare &c. *Extant in libro, cui titulus*; La bella mano di Giuſto de' Conti Romano con una raccolta di rime antiche Toſcane, nuova Edizione accreſciuta della Vita dell' Autore ſcritta dal Sig. Co. Giammaria Mazzuchelli Bresciano Accademico della Cruſca. In Verona preſſo Giannalberto Tumermani 1753. in 4.

Notizie intorno a Raffaello Brandolini Fiorentino. *Poſtquam Franciſcus Fogliatius magna ex parte Latine edidiſſet Venetiis, quae de Brandolinio Italice ſcripſerat Mazzuchellius, hic totam vitam Brandolinii retulit in Vol. 2. part. 4.* degli Scrittori di Italia.

Gli ſcrittori di Italia, cioè notizie Storiche, e Critiche intorno alle Vite, ed agli ſcritti de' Letterati Italiani del Conte Giammaria Mazzuchelli Breſciano Vol. I. part. I. & part. II. in Breſcia per

Giambatiſta Boſſino 1753. in fol. Vol. II. part. I. *apud eumdem* 1758. Vol. II. part. II. 1760. Vol. II. part. III. 1762. Vol. II. part. IV. 1763.

Lettera agli Autori *della Raccolta Milaneſe* intorno al Cardinale Pietro Bembo. In Milano nella ſtamperia di Antonio Agnelli 1756. in 4.

Lettera al Sig. Conte Cavaliere Gianrinaldo Carli Rubbi, in difeſa della vita dell'Aretino. *Edita ab auctoribus fuit* della Raccolta Milaneſe in Vol. I. Milano per l'Agnelli 1756.

Notizie intorno ad Iſotta da Rimino. *Extant in Tom. I. ejusdem Collectionis Mediolanenſis. Auxit poſtea opus ipſum Mazzuchellius, ediditque Brixiae an. 1759. Typis Joannis Bapt. Boſſini.*

Notizie intorno alla Vita, ed agli ſcritti di Benedetto Marcello Patrizio Veneziano. *Extant in Tomo X.* delle memorie per ſervire all'Iſtoria Letteraria, in Venezia preſſo Pietro Valvaſenſe 1757.

Lettera Dedicatoria premeſſa a' componimenti Poetici per la profeſſione di S. E. Maria Eletta Zeno nel Moniſtero delle Vergini in Venezia, in Breſcia appreſſo Giammaria Rizzardi 1760. in fol.

Prefazione alle Rime in lode delle Dame, e de' Cavalieri, che in Breſcia nella Primavera del 1761. hanno rappreſentata la Tragedia intitolata *Sara in Egitto* con intermezzi in Muſica. In Breſcia dalle ſtampe di Giambatiſta Boſſino 1761. in 8.

Eſtratto del libro intitolato de' Delitti, e delle Pene 1764. in 4. e giudizio fatto da Zaccaria Gamu-

muzoti Melloni. *Extat opuſculum hoc ſub nomine anagrammatico Mazzuchellii in nova Coll. Calogeriana*: Venezia 1765.

Poeſie Varie. *Extant in variis collectionibus Carminum. Non admodum valebat Mazzuchellius poeſi, ipſique ſolebat eſſe in ore Horatianum illud*;

. . . : . . . . Mediocribus eſſe Poetis
Non homines, non Di, non conceſſere Columnae;

Multa ipſe inedita reliquit, ex iiſque Tragoediam unam, quae inſcribitur la morte di Socrate, *& binas comoedias. Narratur etiam illum fere ad exitum perduxiſſe Vol.* VII. *&* VIII. degli Scrittori d'Italia.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

JOANNI BAPTISTAE BODONIO HISPANIARUM REGIS TYPOGRAPHO S. P. D.

MAgna laus eſt & grata hominibus, unum hominem elaborare in aliqua ſcientia, quae ſit multis profutura; maxima vero & prorſus admiranda plures ſequi, in iis inſudare atque excellere, & ex ſuis curis laboribuſque quotidianis aliquid ſemper in commune conferre. Atqui ſi diligenter conſiderare voluerimus quid Paullus Maria Paciaudius potuerit, & quid effecerit, & qui vir fuerit, illum profecto multis, quorum pervagata ſunt nomina, anteponemus. Erat in illo magna dicendi facultas, ſumma elegantia, ſumma eruditio Graeca atque Latina; & quanquam videretur tanquam filiolam oſculari ſuam ſcientiam antiquarum rerum, valebat tamen theologia, phyſica, mathesi, ethica omnique doctrina, quae rerum divi-

narum atque humanarum naturam cauſſaſque tradit, & omnem bene vivendi rationem tenet atque perſequitur. Quis vero illo comior, quis jucundior, quis ad omnem humanitatem accommodatior? De cujus praeſtanti virtute & doctrina cum vere, graviter ac ſaepe ſoleas praedicare, a me tu quoque id vehementer petis, ut ejus vitam Latinis litteris mandem, quaſi ego is ſim (in quo quidem facis amice) qui immortalitati magnorum virorum facta commendare valeam. Cum ſtatuas & imagines (inquis) non animorum ſimulacra, ſed corporum ſtudioſe conquiramus, & ſuaviter contemplemur, conſiliorum ac virtutum effigiem nonne multo malle debemus ſummis ingeniis expreſſam atque politam? Si hoc numero eſſem, confidentius tibi quidem, amiciſſime Bodoni, morem gererem; ſed cum ſentiam exiguam in me eſſe vim ingenii, neque parem eſſe poſſe Latine ſcribendi elegantiam, atque in Paciaudio fuit, & nihil difficilius eſſe quam exprimere & effingere verbis hominis ſummi formam, verecunde, vel potius timide aggredior ad id, ad quod me invitas, omninoque

vereor, ne tua culpa eſſe judicetur impoſiti oneris, mea recepti. Utrique fortaſſe excuſationem dabit amicitia, quae ſumma nobis cum ipſo fuit; impetratumque jam a conſuetudine eſſe videtur, ut interdum liceat amici cauſſa peccare. Mihi quidem jucundum fuit abs te officium meum requiri; & ſi tibi ſatisfecero, qui es in omni judicio elegantiſſimus, non admodum ceterorum judicia morabor. De te & de me, quorum cauſſa eſt communis, nihil amplius dicam. Principia enim verecunda eſſe debent. Itaque opus aggrediar eo animo, ut tibi rem gratam faciam, cui tantum me debere exiſtimo, quantum perſolvere difficile eſt. Vale.

Florentiae Kal. Quintilis MCCLXXXVII.

PAULLUS MARIA PACIAUDIUS

Paullus Maria Paciaudius natus eſt Auguſtae Taurinorum honeſtiſſima familia IX. Kal. Decemb. (1) an. MDCCX. Vel a prima aetate magni ingenii ſigna dedit; & quod ager quamvis fertilis ſine cultura diligenti fructuoſus eſſe non poteſt, magnopere curavit ejus pater, quo medico Sardiniae Rex utebatur, ut is ab optimis praeceptoribus in ſtudiis humanitatis erudiretur. Plura a Jeſuitis adjumenta habuit, ſed majora a Bernardo Lama Neapolitano, qui inſtaurata per illa ferme tempora Taurinenſi Academia, munus in ipſa docendi eloquentiam magna cum opinione doctrinae ſuſtinebat. Huic enim ſe debere in primis affirmabat Paciaudius quidquid in Graecis Latiniſque litteris profeciſſet. Agebat is XVIII.

(1) Facile eſſet erroris illos convincere, qui ejus diem natalem fuiſſe tradunt Id. Novembris.

aetatis annum, quando de nomine dando Teatinorum familiae conſilium cepit, cujus tyrocinium poſuit Venetiis, duce Camillo Durante. Hujus omnis cura ſolebat in eo verſari, ut tyrones ſui non modo in cognoſcenda & exercenda virtute, ſed & in ſtudiis humaniorum litterarum ac geometriae inſtruerentur, ac ſaepe hortabatur Paciaudium, ut omnia ſtudia ſua in ſacram eloquentiam conferret. Quanquam ille non egebat conſilio cujuſquam, ſed tamen, ut dicitur, excitavit currentem, qui hac in re uſus praeſertim eſt praeceptore Cajetano Travaſa, cujus magnum erat nomen in ſacris oratoribus. Et quod nulla res plus apud eum pollebat, quam illius voluntas ac judicium, cum Bononiam veniſſet, ubi illum abundare oportebat praeceptis inſtitutiſque philoſophiae propter ſummam & doctorum celebritatem & urbis, huic laudandarum omnium artium ac praeſertim eloquentiae procreatrici atque parenti ita dedit operam, ut per illam maxime praedicationem nobilitatemque conſequi velle videretur. Erat ſape cum Manfrediis, cum Zanottis & cum Beccario, eorumque conſuetudine & praeceptis fiebat

quotidie magis doctior. Hoc vero ſpecimen ingenii & prudentiae, quod ſummis & graviſſimis viris unus adoleſcens ante alios eſſet cariſſimus. Aegre ſe ab horum familiaritate ſejunxit, cum quibus & ſuum judicium & ſtudiorum vincula ipſum conjunxerant. Juſſus enim eſt a majoribus ſuis Genuam concedere operam daturus Theologiae, in qua ſecutus eſt praeſertim Thomiſtas. Et de illorum magiſtro Thoma Aquinate aliquando Italicam orationem dixit, quod hoc erat in more poſitum, ut quotannis ab Arcadibus Coloniae Liguſticae ſanctiſſimi doctiſſimique viri laudes celebrarentur. Diſſeruit de illius triumphis, ad quod devocabatur, utque antiquitatis ſe litterate peritum oſtenderet, addidit in illam orationem plura, quae declarabant quid eſſent illi Romanorum triumphi, quid arcus, quid coronae, quid trophaea, quid currus, quid vincti ante currum duces, quid ſimulacra oppidorum, quid aurum atque argentum, quid vehi per Urbem, quid clamor militum, quid tota illa pompa, qua ſummorum Imperatorum virtus atque fama celebrabatur. Nec de cruentis modo victoriis, ſed & de ludi-

cris plura attulit, in qua diſputatione celebriora monumenta commemorat, & interdum etiam explicat, quae ad varios Graecorum Romanorumque ludos pertinent. Quodque victorum laudes carminibus etiam poetarum ornabantur, ipſe Italica ode victorias Aquinatis extulit. Haec omnia eo majora viſa ſunt, quod tum Paciaudius XXIX. aetatis annum vix attigerat. Poſt id demandatum illi munus fuit publice docendae philoſophiae, quod dum ſuſtinuit, multus eſſe ſolebat in exponendis Newtoni dogmatibus, ut diſcipuli ſui, ſe duce, venirent eo, quo ſine duce pervenerat ipſe. Non probabat tamen illos, qui in uno magiſtro, tanquam in quadam ſilice adhaereſcere videbantur, & quae de libertate philoſophandi expoſuit in epiſtola quadam ad Bartholomaeum Beccarium, quae eſt in manibus hominum, ſatis indicant inclinaſſe illum interdum ad Leibnitii & Carteſii decreta. Sed quae eſſet ejus philoſophandi ratio, quos ſequeretur, praeſertim intelligi poteſt ex theſibus, quas publice defendendas proponebat, in quibus judicium & electio non modo rerum, ſed etiam verborum dominatur. Nam

Digitized by Google

cum mature ad elegantiora defluxiſſet, non ſolum doctus, ſed etiam politus ſcriptor videri volebat, illos ferme contemnens, qui munditiam orationis a doctrinarum ſtudiis ſegregandam putant. Jam tentare voluit quid voce, quid viribus, quid ſpiritu, quid lingua efficere poſſet. Munus enim ſuſcepit ſacras ad populum habendi conciones, quod toto decennio ſuſtinuit, illuſtriores Italiae urbes peragrans, & aegre dimiſit coactus valetudinis incommodis. Non ſolum copioſe loquente ſapientia, ſed etiam voce & forma & motu corporis, et reliquis rebus aptiſſimus erat ad hoc munus; oratione autem celeri & concitata, quod erat ingenii, & verbis effervefcentibus & paullo nimium redundantibus, quod erat aetatis, admirationem movebat; quanquam in eo ipſo, quo delectationem & plauſus aucupabatur, interdum plus nonnullis, quam neceſſe eſſet, ſatisfeciſſe videatur. In omnibus enim rebus, & vel in ipſis ornamentis videndum eſt quatenus, in quo Apelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non ſentirent quid eſſet ſatis. Neque minus elaborabat in exqui-

rendis concinnis ſententiis; & quod eloquentiae, ſicuti reliquarum rerum, eſt fundamentum ſapientia, locupletabat orationes ſuas graviorum artium inſtrumento, & placebat praeſertim, cum ſeligebat aut exempla ex divinis libris, aut praecepta ex his non modo, ſed & ex intima philoſophia, aut penetrare in animos auditorum volebat, ut flecteret, commoveret, & quocumque vellet traduceret. Exercitatio dicendi atque maturitas aetatis acuit prudentiam, ut jam perfectum quiddam conſecutus eſſe videretur, quando, ut diximus, ob valetudinis incommoda deſcendere de ſuggeſtis coactus fuit. Eſt in manibus hominum oratio, quam ad Purpuratorum Patrum collegium in Vaticanis aedibus dixit an. MDCCXXXXV. de Chriſti Domini morte, eaque eſt ſuaviter & cum ſenſu ſcripta; extant & panegyricae orationes de S. Catharina Vaſtanenſi & de Sanctis Coſma & Damiano, quae non carent oratoriis ornamentis, ac demum extat Oratio, nobilis illa quidem, de laudibus Philippi V. Hiſpaniarum Regis, quam habuit Neapoli an. MDCCXXXXVI. cum ei juſta funerum ſolverentur. Sed de oratoriis exercitationibus Pa-

ciaudii ſatis dictum erit, ſi hoc unum addidero, quod poeſis plurimum adjuvat eloquentiam, illam quoque ipſum excoluiſſe, & valuiſſe ingenio ad condenda Italica carmina, ut judicari ex iis facile poterit, quae praepoſuit orationi, quam commemoravimus de laudibus S. Catharinae Vaſtanenſis. In his occupationibus nunquam intermiſit ſtudia priſcarum rerum, & quoties Venetiis fuit, ſic utebatur Apoſtolo Zeno, ut hunc auctorem & moderatorem hujuſmodi ſtudiorum ſuorum eſſe praedicaret. Poſtquam vero uſus, auditio, lectio, litterae praeparaverant ipſum ad hoc doctrinae genus, quod ſubactum ingenium requirit, quo bonos foetus & grandes poſſit edere, non dubitavit in publicum prodire, édito Venetiis an. MDCCXLII. opere de antiquitatibus Cuprenſibus, quod ad Hannibalem Oliverium hominem iſta doctrina eruditiſſimum inſtituit. Jamdiu fuit inter ſcriptores controverſia de ſitu veteris Cuprae Montanae, quam eruditiores eo in loco poſitam dixere, qui nunc *Ripa Tranſona* appellatur inter Firmum & Aſculum e regione Cuprae Maritimae celeberrimae antiquorum Picentum urbis. Ab

horum ſententia minime diſceſſit Paciaudius, quin immo motus Frontini auctoritate inter Colonias Romanorum ipſam adnumeravit, collegitque ea omnia monumenta, quae ad probandam illius nobilitatem, antiquitatesque illuſtrandas conducere poſſe videbantur. Verum haec illi propria fuiſſe videtur opinio, ut non duplicem Cupram, ſed unam eamdemque fuiſſe exiſtimaverit, velut in duas partes diviſam, quarum altera maritima, altera montana dicta ſit; ex quo evenit, ut plurima Cuprenſium monumenta extulerit, perinde ac ſi omnia ad unum populum unamque civitatem ſpectaſſent. Miror equidem hoc illi perſuaſum fuiſſe, cum Plinius & Ptolemaeus Cupram Montanam in mediterraneis Picentum ſic collocent, ut facile judicari poſſit multo plus, quam millia paſſuum V. diſtaſſe illam ab ora maritima. Id aliaque plurima optimo in lumine ceteros inter collocavit Maurus Sartius Camaldulenſis homo (1) qui tamen multas laudes tribuit

(1) *Ejus Diſſertatio, ſeu Epiſtola de Cupra Montana, deque Maſſatio oppido agri Aeſini extat in volum.* XXXIX. degli Opuſcoli del Callogerà.

Paciaudii diligentiae & ſubtilitati atque eruditioni, quas adhibuit tum in colligendis, tum in declarandis Cuprenſibus antiquitatibus. Haec homo ingenioſiſſimus auctoribus eruditiſſimis inductus arripuit, neque diſputandi cauſſa (diſcrepat enim plerumque ab aliorum ſententiis) ut magna pars, ſed deſiderio aliquid melius afferendi, non ſolum ſtudioſe, ſed etiam minute inquirit in ea, quae minus animadverſa fuerant, quod ad aliorum auctoritatem extenuandam, & ſuam confirmandum valebat. Vel ea, quae non meliora (quod de omnibus Paciaudii ſcriptis facile judicaveris) tibi videbuntur, condita jucundius exiſtimabis. Hac quidem diſſertatione ſuam notam fecit facultatem, ex eaque illud conſecutus eſt, ut facile diſcerneretur ab iis, qui orationis elegantia, & litterarum varietate minime utuntur. Quoniam vero antiquitatis ſtudia maxime tum vigebant Neapoli, & quod hujus loci & caeli natura aptiſſima erat illius valetudini, quae ſemper fuit tenuis ac ſaepe etiam aegra, vehementer concupivit in ipſa urbe ſedem ſtudiorum ſuorum collocare. Id facile obtinuit per Joſephum Spinellium Cardinalem

& Neapolitanorum Archiepiſcopum, cui ſatis erat cognitus ex iis ſcriptis, quae vulgaverat, & ex celebritate ſermonis hominum. Fecit vero ſapienter, quod hujus congreſſus, conſuetudinemque victus requiſiverit, motus admirabili fama doctrinae & virtutum incredibilium, quae ſpecie diſpares prudentia conjungebantur. Quid enim tam diſtans, quam a ſeveritate comitas? Quis tamen illo aut ſanctior eſt habitus, aut dulcior? Quid tam difficile, quam in ſacris adminiſtrandis, in moribus corrigendis, & in plurimorum controverſiis dijudicandis ab omnibus diligi? Conſequebatur tamen, ut eos ipſos, quos reprehendebat & contra quos aliquid ſtatuebat, aequos placatoſque dimitteret. Jam quantum illud erat, quod in maximis occupationibus ſuis nunquam intermitteret ſtudia doctrinae, ſemper aut legens aliquid, aut Paciaudium vocans ad ſcribendum! *Septem annorum ſpatio, quo apud te diverſor* (inquit ille in Praefatione libelli *de ſacris Balneis*) *mihi tam facilem te ipſum praebuiſti, ut omnem ſtudiorum meorum rationem exploratam perſpectamque habere volueris; ſaepe mecum de*

his, quae tua eſt humanitas, ultro citroque verba ſerere, & quae aut typis parabam, aut in adverſariis ſeponebam, emendare, vel tuis additis doctrinis augere. Nactus igitur patronum & amicum qualem optabat, & locum omnibus copiis affluentem ad excolenda antiquitatis ſtudia, ſibi id omne ſuppeditari ajebat, in quo animus ejus libentiſſime conquieſceret. Conquirebat ſuavitates undique, aut vetera monumenta contemplans, aut aſſidens in bibliothecis, aut conferens ſermones cum iis, qui excellere doctrina putabantur, aut degens in uobiliſſimorum hominum flore; idque efficiebat, ut cum gratiae cauſſa nihil faceret, omnia tamen eſſent grata, quae faciebat. Quaerebatur ſaepe ab ipſo, cujus prudens ſincerumque judicium, nihil ut poſſet niſi optimis rationibus comprobatum & elegans audire, omnes ſuſpiciebant, quid ſentiret de ſcriptis, quae tum multi ad explicandas priſcas res vulgabant, ſed ipſe, cum ſerviebat veritati, nullum verbum inſolens, nullum odioſum proferre audebat, & quod difficillimum eſt, conſequebatur, ut cum exponeret quid ſibi optimum videbatur, neminem lae-

deret. Inerat profecto natura philoſophia in hujus viri mente quaedam, nec facile invenies cui aeque vivendi via conſiderata atque proviſa fuerit. Ut laudes, quas de illo Neapolitani habebant, poſteritati & abſentibus propagarentur, aliquid priſcorum monumentorum interpretandum ſuſcipiebat, in quo eſſet ſubtilitati & novitati locus. *Nonne id agendum nobis eſt*, ſcribebat ad Joannem Rainaldum Carlium, *ut materiem ſubtrahamus iis, qui non philoſophorum judicia, ſed delirantium ſomnia venditant?* Cumque ei narraret eſſe quoſdam, qui in hac inſcriptione CRESTI GER Chriſtiani aliquid contineri arbitrabantur, multis de cauſſis minime dubitare ſe ait, ab illa indicari hominem nomine Creſtum, qui in domo Caeſaris Geruli officium exequebatur. Hac de re tota confecit diſſertationem, quam Angelus Calogeraus retulit in XXXXII. volumen opuſculorum ad ſcientias & philologiam pertinentium. Horum ſimilia mittebat ad Lamium & Gorium, & munera hujuſmodi exornabat aliis monumentis, quibus utebatur rei probandae & locupletandae cauſſa, & elegantiſſimis verbis perpolita oratione. Ipſi

& vulgabant ſi quid perſcriberet de Herculanenſibus monumentis (1) quae tum detegebantur, & aegre ferre videbantur, ſi diutius ſiluiſſent muſae Paciaudii. Interim, dum ipſe ſtudioſiſſime res colligebat, quibus poſſet juvare ſe & ſuos, venit ad eum Hoſpitalii Marchio Gallorum ad Neapolitanorum Regem Legatus, rogavitque ne gravaretur exponere ſententiam ſuam de Mercurii ſtatua antiquo opere & ſummo artificio facta, quam per illos dies ipſe ſibi comparaverat. Nil maluit Paciaudius, quam tanti viri obſequi ſtudio, & cum libellum confeciſſet, judicium adhibuit non ſolum ut inveniret quid diceret, ſed etiam ut ſeligeret atque expenderet. Percurrit, quare Mercurius omnium artium inventor, viarum atque itinerum dux, ad pacem faciendam, ad negotia publica gerenda, ad placandos inferos, ad excolendos homines, ad mo-

(1) *Vide* Novelle letterarie pubblicate in Firenze an. 1748. & *vol.* XXXVIII. della Raccolta del Calogerà.

moderanda aſtra, ad quaeſtus pecuniae, mercaturaſque maximam vim habere diceretur, ſed praeſertim in eo conſtitit, ut rationem reddat, cur Numinis ſuperis & imis gratiſſimi ſignum teſtudinem in patera poſitam manu geſtet. Aliud nihil attulit, quod probabilius ſit, quam illud, quod ex Homero (niſi fortaſſe alius quaerendus ſit auctor hymnorum, qui illi tribuuntur) diſcimus. *Mercurius*, ait ille, *poſtquam Apollini furatus eſt boves, cum in antrum Cyllenii montis confugiſſet, ibi teſtudinem invenit. Hanc primum exentravit, deinde ſectos calamos per ſupinae teſtae oras trajecit, tum calamos corio bovis texit; demum ex duobus brachiis manubrium extendit, & duo illa brachia jugo conjunxit, a quo duxit ſeptem chordas per manubrium, & corium, quo calami & cavum teſtudinis tegebatur uſque ad umbilicum, qui erat ſupra fundum teſtae*. Tali modo cognito curvae lyrae inventore, facile fuit Paciaudio declarare quid ſignificat teſtudo in hoc aliiſque monumentis, quae enumerat, expreſſa. In extrema diſſertationis pagina de Pantheis Diis diſputat, quorum in numero Mercurium collo-

Digitized by Google

care minime dubitavit. Qui reprehendere ſolent antiquarios, quod ſaepe aut levia, aut a propoſito aliena, aut non apta, aut ante pedes poſita conquirunt, laudabunt Paciaudium, quod nunquam uſus ſit imprudenter eruditionis copia, & illa delegerit, in quibus maxima ſunt argumentorum momenta. Ut in vita, ſic in ſcriptione nihil eſt difficilius, quam quid deceat videre; nihilo tamen minus nunquam decori ignoratione peccaſſe Paciaudium dixeris; qui cum non minus fugiendam ſibi eſſe exiſtimaret negligentiam (aliter enim fuiſſet & in amicos, & in ſemetipſum, & in artem, quam profitebatur, inofficioſus) non recuſabat quid de alienis operibus judicaret, dicere. Franciſcus Victorius Eques, cum per illos dies diſſertationem Romae vulgaſſet *de vetuſtate & forma monogrammatis ſanctiſſimi nominis Jeſu*, doctam illam quidem, ut aſſolebat, atque laborioſam, edidit cum ipſa quatuor numiſmata, in quibus ſe ſpecimen quoddam ejuſdem monogrammatis videre, quaeque ad Alexandrum Severum Caeſarem pertinere putabat. De his habuit Paciaudius quid ſentiret (& ut aperiret ſententiam ſuam ro-

gavit illum quidem Victorius) non habuit autem quid amico aſſentiretur. Emiſit itaque libellum, quo ſe aliquid melius allaturum, & ſi non quid eſſet, quid non eſſet ſaltem ſe probaturum ſperabat. Etenim Gnoſticis, magiae, & ſi quid eſt hujuſmodi ineptiarum cultoribus (fuit enim tempus, quo ſuperſtitio fuſa per gentes oppreſſit omnium ferme animos, atque hominum imbecillitatem occupavit) tribuit Paciaudius, quae Alexandro Severo mire convenire Victorius affirmaverat. Amuleta igitur eſſe illa numiſmata pluribus argumentis probavit, & ad amuleta commode referri docuit Alexandri Macedonis, Herculis & Minervae, aſinae pullum lactantis, & ſcorpionis imagines, atque litteras in iiſdem ſculptas. Cum vero de aetate numiſmatum ambigi poſſet, pluribus conjecturis ducitur ad ſuſpicandum a Juliano Apoſtata fuiſſe eadem cuſa, qui quidem magnam tribuebat auctoritatem divinationi, atque adeo venerabatur Alexandrum Macedonem, ut illius animam ſe habere gloriaretur. Quae ſcripſit Paciaudius, quanquam magnas laudes tribuerit amico, durius tamen hic accepit, quam ipſe

voluiſſet, & quam homines belli ſolent: Diſſertationem itaque apologeticam anno poſt Victorius Romae emiſit, qua ſuam ſe confirmaſſe ſententiam, & diluiſſe tum omnia, quae illi objecerat Paciaudius, tum illam de amuletis opinionem arbitratus eſt. De re dubia nos minime judicabimus. Illud tamen addemus unum, Victorium pro ſe multa habuiſſe doctorum hominum judicia ac teſtimonia, quibus ſi eſſet probatus, omnibus ſe eſſe probatum ſperare debere ajebat. Fecerunt vero uterque ſapientissime, quod poſt haec mutuis adeo certarunt officiis, ut nulla inter eos interceſſiſſe querimonia videretur. Poſtquam revocavit animum Paciaudius ab hac ſubtili diſputatione, coepit majora cogitare, & nihil dubitans quin praedicatio geſtorum Emanuelis Pinti Hieroſolymitani Ordinis Magni Magiſtri juſta & grata videretur (magnis enim ab illo affectus fuerat beneficiis, dum ſacras Melitae conciones habuit) illa numiſmatibus in aere inciſis exprimenda ſuſcepit. Omnino ſic habeto; quidquid arte, ingenio & notitia priſcarum rerum fieri potuit ad tot emblemata atque inſcriptiones in-

veniendas, id ſummo ſtudio Paciaudium conſecutum fuiſſe, & dum contemplamur concinne adeo expreſſam imaginem virtutum Pinti, & factorum illuſtrium, quae, illo duce & Magiſtro, Hieroſolymitani milites geſſere, illi gratulamur, quod talem praeconem invenerit. Fecit vero ipſe humaniter, quod & ſui & univerſi Ordinis nomine gratias Paciaudio honorificentiſſimis verbis egerit, & munera ſatis large miſerit. Tum nemo non intellexit quam hic ſapiens eſſet cognitor omnis antiquitatis, & quam ſcienter illa uteretur ad multa; qua propter minime arrogantiae crimen extimeſcebat, ſi ſe tenere omnia illa putabat, ex quibus ars & ſcientia efficitur. Illum cohortationes multorum ſtimulabant, ut in lucem proferret, quae incluſa ſunt in Graecorum monumentis, iiſque obſequi meditabatur. Sed Spinellius, cujus nutu & arbitrio ſtudia ſua moderabatur, illa potiora ducebat, quae ad antiquitates Chriſtianas ſpectant, neque hoſpitem ſuum monere ceſſabat, ut ex iis laudem & gloriam maxime quaereret. Qui ſunt ab his ſtudiis alieni levia fortaſſe putabunt, quae de Capuanis cam-

panis quibuſdam diſſeruit, in illarum originem inquirens, & de veteri Chriſti Crucifixi ſigno, & antiquis Crucibus, quae Ravennae ſunt, ad Antonium Franciſcum Gorium ſcripſit. Sed juvat majorum noſtrorum inſtituta, & quae ab ipſis ethnicis ſumpſerunt, ut religioſa facerent, inveſtigare, quod ad pietatem & eruditionem colendam maxime conducit. Gorius vero cum de Crucibus ſcribendum ſuſcepiſſet, & unum Paciaudium ex omnibus ad hujusmodi res explicandas maxime aptum cognoſceret, ut omnino de Ravennatibus loqueretur, aſſecutus eſt. Conſtitit ille praeſertim in ſigno omnium fortaſſe vetuſtiſſimo, quod habet Crucem ex ligno bifido & furcillato in modum litterae Y., atque hujuſcemodi Cruci Chriſtum Jeſum ſuffixum fuiſſe, hoc aliiſque monumentis comprobat. Mirari vero ſe ait Lipſium affirmaſſe, non ſatis dilucide veteres ſcriptores Crucis formam innuiſſe, cum Varro (de L. L. IV.) ubi de vallo, inquiat: *quod extrema bacilla furcillata figuram habeant litterae Y.* Veroſimile autem videtur cum Judaei Servatorem noſtrum probroſae morti dare vellent, uſos furca, latronum ſup-

plicio fuiſſe, idque ſiviſſe Deum, ut comprobaretur vaticinium: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet*. Ne ſine corollario eſſet iſthaec Diatribe ſua, illa breviter complexus eſt explicationem aliorum monumentorum Ravennatium. Ajebat enim Gorius: *jam noſtra culpa fuerit, ſi te, niſi omnia, quae percontati erimus, & quae tu obſervare potuiſti, dum verſabare in antiquiſſima urbe ſacrarum concionum cauſſa, dimiſerimus*. Pertinent illa ad muſiva teſſellataque opera Baſilicae Urſinianae, ad anaglyphum, in quo Hercules, dum cervam aeripidem aureis cornibus inſtructam ac dormientem captat, repraeſentatur, ad tres ſepulcrales inſcriptiones, ac demum ad gemmam ex veteri encauſto bicolori manum referentem, quae auriculam ſummis digitis attrectat ac vellicat cum lemmate MNHMONEYEMOY. Hoc aliiſque hujuſmodi ecphonematibus, ex ſententia Paciaudii, mors adhortatur illum, qui gemmam geſtaſſet, ut ſui recordetur; curet ſe molliter, oblectet ſe voluptatibus, & ut Catullianis verbis dicam, vivat atque amet, nobis cum ſemel occidit brevis lux. Haec mo-

numenta a nemine, quod ſciam, edita fuerant, & hoc praeſertim propoſitum erat Paciaudio, ut ſcripta ſua non tam eruditione & elegantia, quam novitate ipſa, qua maxime delectamur, commendarentur. Ex his peregrinationibus, cum domum Cardinalis hoſpitis ſui revertebatur, ſecum ſemper aliquid antiquorum monumentorum afferebat, quo ſe & illum delectaret, tenens memoria praeclariſſimam Platonis ſententiam, qui eum eſſe ajebat honeſtiſſimum peregrinationis fructum, ſi quidpiam domum referas, in quo te deinde meditando ſcribendoque exerceas. Dum vero morem gerere Cardinalis ipſius voluntati adlaborabat in explicatione ſacrorum monumentorum, forte ad illius manus pervenit manu ſcriptus liber, qui continebat epigrammata de balneis prope Neapolim, incompta illa quidem & rudia, ſed quae multarum rerum notitiam, quas ſcire intererat, ſuppeditabant. Omnia diligentiſſime ſuo more perpendit, & cum editis contulit; haeſit vero praeſertim in eo, quod de Balneo Epiſcopi inſcribitur, deque ipſo libellum compoſuit. Non ſolum teſtimoniis, verum etiam picturis, quae

codicem ornant, probavit fuiſſe hoc in more poſitum Epiſcopis & Monachis, a quibus ad clerum univerſum tranſiit, ut ſtatis anni temporibus religionis cauſſa balnea adirent, & dum inquirit quae quantaque haec eſſent Romae, Neapoli ac Ravennae, non ad baptiſmi, ut quidam cenſuerunt, ſed ad lotionis uſum deſtinata (nam Chriſtiani aſperſiones, lavationeſque ab Ethnicis inſtitutas vel ab ultimis temporibus retinuerunt) docetque qua potiſſimum aetate thermarum publicarum uſus deſiit, tum ſacrae tum profanae antiquitatis ſe peritiſſimum oſtendit. Extremo in libro quaedam tetigit de theca argentea antiqui operis ad orbem cereum ſacrum, ſeu ut loquuntur, Agnum Dei cuſtodiendum, cujus ſchemate operis frontem exornavit, eaque convenientia erant Benedicti XIV. ſententiae, qui adverſus Panvinium probavit, hujuſmodi cerarum conſecrandarum uſum primis Chriſtianae religionis ſaeculis invaluiſſe. Idcirco vero eas majores noſtros geſtaſſe putat Paciaudius, ut emendarent perverſum morem ferendi obſcoena phylacteria, de quo egerat in ea diſſertatione, qua ſuam de amuletis opinio-

nem illum confirmaſſe diximus. Quando haec edidit Paciaudius adverſa admodum valetudine tenebatur Venetiis (eo enim venerat relaxationis ergo, quia triſtia acciderant Spinellio, qui Archiepiſcopatu Neapolitano ſe abdicare coactus fuit) atque id cauſſae fuiſſe dicit, cur opus non perpoliret, atque ea rerum copia ubertateque inſtrueret, quam nunc exigere ſolemus ab iis, qui antiquitatis ſtudia exercent. Ex quo factum eſt, ut cogitationem ſuſceperit de illo retexendo, quod & auctoritate ſummi Pontificis Benedicti XIV. quo teſte & laudatore ſtudiorum ſuorum merito gloriabatur, inductus arripuit. Atque in hoc novo opere, quod octo poſt annis quam prius ediderat, Romae vulgavit, ſibi caput illud viſum eſt, ut quaereret probaretque vel a primis Chriſtianae Reipublicae temporibus uſitata fuiſſe ſacra balnea, atque majorum morem illa frequentandi retinuiſſe conſequentium temporum Chriſtianos, ne Epiſcopis quidem exceptis, quod ut confirmaret novis teſtimoniis atque argumentis, fecit littarati cujusdam iniquitas, qui cum primum Paciaudii libellus eſt editus in vulgus, affirmavit rem

ab illo confictam fuiſſe ab Antiſtitum dignitate, gravitate atque ſapientia abhorrentem. Verum cum omnes caerimoniae, quae ad religioſam munditiem obtinendam pertinent, habeant commune quoddam vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe contineantur, ejus oratio ad minores lotiones explicandas, quae a majoribus noſtris ſancte fuerant invectae, veluti ſponte ſua dilapſa eſt. Quo ſane quibuſdam conciliorum ſanctionibus & priſcis Eccleſiae ritibus non parum luminis attulit; utque affluentius undique hauriret argumenta, aliquot nobiliſſima Latinae, Graecaeque Eccleſiae monumenta, nondum antehac edita cum ſuis inſcriptionibus atque emblematibus in lucem emiſit. Poſtquam vero in deſuetudinem abierunt balnea aliaeque lotiones, una apud Catholicos viguit aquae conſecratae luſtratio, quae cum in tantam haereticorum hujus noſtrae aetatis invidiam, tantumque contemptum venerit, ut eos ſi audias, nihil ſit magis inſulſum magiſque ſuperſtitioſum, Paciaudius a ſuſcepta diſputatione minime alienum putavit, ſi veterrimam probatiſſimamque caerimoniam ab impuriſſimis

Digitized by Google

obtrectatoribus vindicaſſet. Nec ſane ambigi poteſt, id factum eſſe rite, quod a Patribus laudatur, minimeque eo nomine afficiendum, quo Eccleſiae hoſtes afficiunt, quos aſperius, quam ſui paterentur mores, Paciaudius inſectatus eſt. Sed nobis non tam haec ſumma vis & contentio, quam ab eo extorſit Catholicae religionis ſtudium, quam illa graviſſimi ſermonis lenitas perplacet, qua veritatis diligentes alloqui ſolebat. Quorum oculis dum ſubjecit orthographiam balnei Formoſi S. P. ex codice Vaticano deſcriptam, & alia Chriſtianae antiquitatis monumenta, de omnibus recto quodam ſenſu dijudicans, veniam petit, quod ſibi in priori operis editione de Neapolitanae metropoleos ritibus differenti quaedam haud vero conſentanea excidiſſent, qua errati confeſſione ſuum veritatis ſtudium comprobavit. Nec Chriſtiani modo, ſed & Ethnici in re divina facienda pura utebantur aqua, ad quam rem puteos alios dedicatos, alios conſecratos habebant, cujus argumenti explicationem jam praeoccupaverat Paciaudius, cum an. MDCCLVI. eodem Summo Pontifice Benedicto XIV. auctore, opus Romae

edidiſſet, quod inſcripſit *Puteus ſacer Bononienſis agri.* Ex hoc apparet Lucium Apuſulenum Lucii libe tum in eo agri Bononienſis loco, qui nunc *Macaretolo*, vel *Maceretolo* dicitur, ſuo impendio lauretum ſeruiſſe, in quo pro Octavio Divi Filio, de Bononienſi colonia egregie merito ſacra fierent, quorum ipſe magiſter ac praeſes eſſet, & hac ipſa de cauſſa puteum illic juſſiſſe deſodi, quem deinde marmoreo περιϛομιῳ circumunivit; atque haec omnia Apollini, Genioque Auguſti, cui litabatur, ſacra devotaque eſſe voluiſſe. Sed antequam ſententiam ſuam exponeret Paciaudius, & monumentum & inſcriptionem in eo poſitam, cujus cauſſa ſuſceptus eſt labor, explicaret, haud panca de puteis antiquorum ac praeſertim Graecorum, eorumque uſu, cum in aliis rebus, tum in divinis diſſerit, qualis eſſet differentia dedicati & conſecrati putei aperit, & quaedam non communia de lucis ſacris, in quorum uno poſitus erat puteus Bonouienſis, affert. Agenti de antiquis monumentis occurrunt in ſermone vario multa, quae fortaſſe iis, qui alieni ſunt a litteris aut inſulſa, aut inopportuna eſſe videbuntur; ſed

quia rei & verbi cujuslibet ratio reddenda eſt, ac ſaepe confutanda aliorum ſententia (diſcrepant enim plerumque inter ſe antiquarii) non facile eſt invenire, qui paucis ſit contentus, quique quod ſciat ipſe, non tradat libentiſſime alteri aut docendi, aut dedocendi cauſſa. Fortaſſe niſi Paciaudius tam multa, tamque erudita de ſacro ſuo Bononienſi puteo (quando enim illi unquam ullus orationis vel eruditae, vel elegantis ornatus defuit?) litteris mandaſſet, ut ſententiam ſuam plane confirmaret, ambigi poſſet, num praeferendus illi ſit Jo. Chryſoſtomus Trombellius, qui aliam prorſus viam in declaranda hujus putei inſcriptione inivit. Exiſtimat enim hunc minime ſacrum fuiſſe, ſed ad uſum peregrinorum factum, propterea quod putealis aqua ſacris faciundis minime idonea illi videbatur. Praeterea non idem eſt de Genio Caeſaris utriuſque explicatoris judicium; nam quae noſter ad Auguſtum, ille ad Neronem refert. Contriſtavit haec ſententia Paciaudii Trombellium, & ſcio cum amicis ipſum conqueſtum fuiſſe, quanquam illius mores & vita eumdem facile convincere potuiſſent, non

contendendi, ſed veri inveniendi ſtudio veterem amicum ad diſceptandum deſcendiſſe. Dum haec ſcribebat Paciaudius commorabatur Romae, cujus urbis domicilium, quod aptiſſimum erat humanitati & ſtudiis ſuis, vel ab eo tempore delegerat, quo ſe disjungere a jucundiſſima Spinellii Cardinalis convictione coactus fuit. Habebat haec omnia abunde, ſuorum benevolentiam, potentiorum gratiam, inſtrumenta ad adipiſcendam ſapientiam, ſummum otium, quare magna in ſpe erat fore, ut per ſe quoque monumenta gloriae & laudis inſignia, quae in Urbe terrarum domina veteres condi voluerunt, illuſtrarentur. Canem venaticum dixiſſes in conquirendis antiquitatis reliquiis, & dum verſabatur cum iis, qui peritiſſimi eſſe exiſtimabantur, facile intelligebat nihil eſſe quod magis expediat in hujuſmodi ſtudiis, quam quamdam ſocietatem & communicationem judiciorum atque utilitatum. Porro cum ſcripta, quae, dum Romae fuit, emiſit, cum iis conferimus, quae ante hoc tempus ediderat, maturitatem quamdam ipſe conſecutus fuiſſe nobis videtur. Jam ſibi hanc vim impoſuerat, ut ſaepe in publi-

cum prodiret iis ornatus atque inſtructus artibus, quae paſſim concelebrabantur. Neque illi ſatis erat litteris mandare, quod probari mediocriter eruditis poſſet; doctioribus placere & poſteritati ſervire volebat. Antequam Venetiis Romam veniret, cum complures dies commoratus fuiſſet Ravennae apud Jacobum Oddium Aemiliae Pro-Legatum, ſecumque detuliſſet ſchema veteris anaglyphi, in quo mulier viro, vel parenti jam jam morituro, arrepta ejus dextra, ſupremum dicit vale (qui mos ſaepe in Graecis, perraro in Romanis ſepulcris apparet) additis in ſuperiori parte binis porrectis manibus, vehementer rogatus eſt ab hoſpite ſuo, ne illius oratio ad hujus rei diſceptationem deeſſet. *Scribe non modo*, ajebat Oddius, *ſi quid ſcies*, *ſed etiam ſi quid ſuſpicabere*. Et primo quidem illi in mentem venit idcirco manus illas titulo fuiſſe adjectas, vel ut viatores, illis conſpectis, pacem mortuo adprecarentur, vel ut monerentur, heredem, qui aram ſepulcralem dedicarat, jugiter rogare, ut terra eſſet ſuper oſſa levis. Atque id ſuſpicatus erat, quod veteres manibus brachiiſque ad caelum proten-

tenſis ſe Deos obteſtari, eorumque opem prece ſupplici exorare ſignificarent. Id etiam ſecum ipſe cogitabat, num hae manus, quamvis ſejunctae, indicarent connubium & fidem aeternam conjugum. Verum licet haec ſatis credibilia videri poſſent, quia tamen aliud invenit, in quo magis acquieſceret, viſus eſt ſibi certa aliqua in ſententia conſiſtere, poſtquam collatis inter ſe pluribus monumentis (quo quidem in toto hoc argumentorum genere nihil eſt meo judicio ad probandum accommodatius) docuit manus illas in tumulo Demetrii lamentationem lugubrem, fletumque moerentem indicare ob ejus vitae exitum celerem & intempeſtivum: ſoliti enim ethnici ob infortunia de Deorum providentia queri, & lamentis non modo, ſed & diris ac imprecationibus ſaepe frenos dare, quod voce enunciare minime poterant, ſignis, ac praeſertim elatis porrectiſque in caelum manibus ſignificabant. Quam ſententiam ita confirmat Paciaudius, ut magnum numerum inſcriptionum colligat, ſuppleat, interpretetur, & errores nonnullorum ſcriptorum, quibus illae cauſſam dederunt, corrigat. Sane quis eſt, quem non mo-

veat monumentis teſtata ac conſignata antiquitas? Quis non illi gratiam habebit, qui omnia ſua ſtudia, omneſque labores ſuos in iis inquirendis explicandiſque poſuit? Cui non jucunda ſolum, ſed etiam admirabilis minime videbitur ſapientia Paciaudii, qui contento curſu ex Latio in Graeciam, ex Republica Chriſtianorum ad Hebraeos tranſvolabat, ut noſceret qui ritus, qui mores, quae inſtituta fuerint hominum, ex quorum diſciplina conſuetudinibuſque non pauca ad nos uſque dimanarunt? Ut varia haec hominum genera ſimul conjugaret, anno poſt quam illa ediderat, libellum ſane aureolum *de Umbellae geſtatione* emiſit. Diſputat primo de feſtis Graecorum, ad quae umbella adhibebatur tanquam ſacra ſupellex, quod vel maxime in iis, quae Baccho dedicata erant, uſuveniſſe ex ipſis Graecorum libris confirmat. Huic tractationi quaedam adjecit de Feſto Tabernaculorum, in quo Liberi Patris caerimonias & umbellae uſum recentiores Judaeos impie retinuiſſe docet. Inquirit deinde quae fuerint Cereris atque Minervae ſacra Eleuſinia, Theſmophoria, Panathenaea, propterea quod in his

umbella religionis cauſſa deferebatur. Hanc indicium & inſigne dignitatis atque honoris fuiſſe apud Perſas, Graecos atque Romanos pluribus teſtimoniis evincit, ad quod dilatandum argumentum quoſdam etiam Conſtantinopolitanae aulae ritus, caerimonias atque officia recenſet. Quem uſum ex ipſa habuerint veteres in theatris, in deambulationibus, in peregrinationibus, in venationibus, atque in balneis, quanta eſſet Graecorum ſuperbia atque arrogantia in illa geſtanda, qui eſſent apud hos METOIKOI, apud Latinos Ancillae umbelliferae, quomodo ab Etruſcis ad hos, & ab his ad Chriſtianos umbellarum uſus dimanaverit, ſuo more & ſententiis copioſe, & verbis ornate diſputat Paciaudius, qui ne quid deeſſet libro, ex qua materia, quave forma ac figura illae conficerentur, & quam lauti elegantesque & in luxum effuſi veteres eſſent huic etiam ſupellectili apparandae oſtendit. In extremo capite ea perſequitur de umbellis, de apallareis, deque flabellis, quae propria ſunt Chriſtianorum, eique laus tribuenda, quod undique conquiſierit monumenta ad res, de quibus agebat, pertinentia, quia in

iis maxima praeſidia atque adjumenta inveniuntur ad origines declarandas, ad conſuetudines defendendas, & ad hoſtes catholici nominis refutandos. Quapropter qui haec ſtudia vituperant, haud ſane intelligo quid laudandum putent. Horum cultor eximius Jo. de Vita Beneventanae Eccleſiae Canonicus, cum patriae ſuae antiquitates illuſtrandas ſuſcepiſſet, a Paciaudio petiit, ut toreuma quoddam interpretaretur, & ex hac interpretatione libellum conficeret, quo *Theſaurum* ſuum *antiquitatum Beneventanarum* (ſic enim opus, in quo mirabilis eſt copia eruditionis, inſcripſit) ornaret. Dicto amiciſſimi viri lubentiſſime atque impigre ille paruit, & quamvis deeſſet monumento inſcriptio, quae vel injuria temporum obliterata erat, vel exſecta ea aetate, qua gentes natione barbarae litteris crudele bellum intulerant, ex modio tamen, quem figura affabre ſculpta manu tenet, certo conjicere ſe poſſe putavit, anaglyptum Beneventanum menſorem frumentarium referre. Nemo ſane ignorat uſitatum id ac in more poſitum fuiſſe apud veteres, ut in ſepulcralibus anaglyptis ea inſculperentur ſymbo-

la, quae de arte commonefacerent, quam mortuus aliquando factitarat, ſive illa liberalis fuerit, ſive mechanica & ſervilis, quapropter facile erat de hominis officio ex modio judicium facere. Hoc cognito, inquirendum erat modii genus, quem Italicum, ſeu Romanum eſſe multis argumentis ad credendum ducitur Paciaudius. Poſt id de modii publici frumentarii capacitate & pondere diſſerit, & poſtquam nonnulla etiam tetigit de mulctra, de menſore oleario & vinario, ut egerat in prima ingreſſione de menſoribus operum publicorum, Domus Auguſtae in utroque Imperio, Cereris Auguſtae, agrariis, riparienſibus, atque machinariis, illa diligentiſſime perſequitur, quae pertinent ad declarandam menſorum frumentariorum conditionem, varietatem, domicilium, religionem, immunitates atque actiones, quod in hac omni diſputatione ſibi praeſertim propoſuerat. Poſtremo ſermonem convertit ad primaevos Chriſtianos, ut explicet qua de cauſſa ii ſuis in monumentis menſoris, modii & frumenti ſymbola expreſſerint; quae, aliaque hujuſmodi ſapientiae pleniſſima dum intuebatur, admiratione & jucunditate

ſuaviſſima ſe compleri dicebat, quod non in eorum modo ſententiis, ſed etiam in nutibus & ſignis ſaluberrima vivendi praecepta continerentur. Quid ſane exploratius eſſe poterat, quam illius animus in Chriſtianam Rempublicam ac religioſa inſtituta? quare agebat gratias fortunae conſtantiaeque ſuae, quod illi praeſertim ſtudia ſua conſecraſſet. Magnum tum erat quod ſuſceperat, difficile quod pollicebatur, ſe non communia & a paucis animadverſa dicturum de S. Joannis Baptiſtae cultu. Opus inſcripſit: *Antiquitates Chriſtianae*, atque ita illud architectatus eſt, ut vel iis perplaceret, quibus odioſae ſunt caerimoniae religioneſque in ſanctos homines. De hoc quidem opere neſcio quemadmodum exponam; adeo ſunt multa, quae incredibili labore ac diligentia ex abditioribus ſacrae antiquitatis penetralibus Auctor in lucem protulit ad declarandam majorum noſtrorum erga Chriſti Praecurſorem pietatem. Templa, baptiſteria, muſiva, diptyca, picturas, anaglypha, ſigna, inſcriptiones, lipſana, numiſmata, dies feſtos, ritus vetuſtiſſimos, Eccleſiae preces ſupplicationeſque, hymnos ac laudationes, omnia de-

nique ſacrae vetuſtatis monumenta inquirit, ut praeclarum inde munus, atque inſtrumentum ad cauſſae ſuae defenſionem atque operis ipſius ornamentum deferat. His accedunt non pauca eaque eximia monumenta, quae ipſe tum primum in aſpectum lucemque protulit, quaeque Chriſtianos ritus & veterem liturgiam maxime illuſtrant, & erroris atque impietatis illos convincunt, qui ſacrarum imaginum cultum irridere ſolent. Qui ajunt irritari hos non oportere, ignari ſunt veteris diſciplinae, atque peregrini & hoſpites in Chriſtiana Republica. Opus praeſtantiſſimum dedicavit Paciaudius magno harum rerum aeſtimatori Benedicto XIV. tum ſui, tum Hieroſolymitanorum Equitum nomine. Nam an. MDCCLV. ante quam illud vulgaret, factus fuerat illorum Ordinis hiſtoricus, quod munus ne fruſtra aſſignatum ſibi fuiſſe oſtenderet, omnes continuo cogitationes ſuas ad opus, de quo diximus, convertit. Beatiſſimum enim Chriſti Praecurſorem idem ille Ordo velut praeſtantiſſimum patronum ac ſoſpitatorem obſervat & colit. In quo cum videret fuiſſe hoc eidem peculiare, ut dum ſacra peragerentur, ritus quidam

ſingulares, & multis in rebus ab uſitata nunc conſuetudine remoti diligentiſſime cuſtodirentur, de illius liturgia, quaſi auctarii loco, cenſuit quoque ſibi eſſe diſputandum. Nec ſane pauca notatu digna ei ſuppeditarunt vetera kalendaria, ſacramentaria, omneſque libri rituales, quos qui conſulere praetermittunt, nae illos in maximarum rerum ignoratione verſari neceſſe eſt. Egregie cordatus homo Summus Pontifex Benedictus nunquam non retulit gratiam Paciaudio pro tanto munere, & gratulatus eſt Magno Magiſtro, quod talem delegiſſet hiſtoricum, qui nobiliſſimorum militum gloriam eſſet aequaturus. Nam magna & fortia non modo facere, ſed etiam ſcribere praeclarum eſt. Sed antequam de ejus hiſtoricis ſcriptis dicamus, rerum & temporum ordo poſtulat, ut reliqua perſequamur, quibus priſcas res, quae in diuturna obſcuritate latuerant, ſic aperuit, ut eas cernere oculis videretur. An. MDCCLVI. commentariolum emiſit de *Athletarum* Κυβιστησει *in palacſtra Graecorum.* Exaravit hoc rogatu Cayluſii Comitis, & exhortatione Jo. Jacobi Barthelemiei, qui tum cum ipſo ruſticabatur in Tuſculano apud Comitem

Stainvilleum, Galliarum Regis ad Romanum Pontificem Legatum. Exarandi autem cauſſam dedit exquiſiti operis ſigillum ex aere ſolido muſaei Contucciani, exhibens imaginem Graeci Athletae Κυβιστηρος, qui demiſſo in terram capite, plantas caelo obvertit, totoque incumbit cernuus armo. Quae de ſaltatione, ac praeſertim cernuatorum, ſeu cubiſtarum, ſeu petauriſtarum a Graecis, vel ab Homericis uſitata temporibus diſperſa erant, recta ratione & diſtributione ſub uno adſpectu poſuit Paciaudius, & multa ſcriptorum loca aut non bene a ceteris interpretibus explicata, aut non ſatis animadverſa callide & perite notavit, qua re fecit, ut Cayluſius (qui quantuſque judex!) mirificum illum eſſe conjectorem atque interpretem omnis antiquitatis pronuntiaverit. Neque veritus eſt, ne judicaretur dixiſſe longius, quam res poſtulabat. Nam qui de orcheſtra ſcripſere, cubiſticam ſaltationem aut leviter perſtrinxerant, aut de illa indiſtincte egerant ac perturbate. Qui vero putant cunctos Graecos pancratiaſtas exuere conſueviſſe omnem modeſtiam in eorum exercitationibus, merito a Paciaudio arguuntur, qui non ex hoc

Digitized by Google

modo ſigillo, ſed & ex aliis monumentis conficit, diu Graecorum morem tantam habuiſſe a vetere diſciplina verecundiam, ut in ludos ſine ſubligáculo prodiret nemò. Profecto Paciaudius nec doctiores, nec officioſiores facile delegiſſet Cayluſio & Bartelemieio, quibuſcum ſtudia ſua communicaret, quorum commendatione, ſeu potius teſtimonio factum eſt, ut ipſe in Regiam Pariſienſem Academiam inſcriptionum & humaniorum litterarum, illo ipſo anno, cooptaretur. Hoc nihil gratius illi accidere potuit. Etenim de ſe praedicari & nominari volebat, quod laborum ſuorum fructum ampliſſimum eſſe rebatur. Trahimur enim omnes laudis ſtudio, & vel optimi gloria ducuntur, cui ut ſerviret plurima eodem tempore volvebat animo, quibus illuſtraret obſcuriora, quae in priſcis Graecorum Romanorumque monumentis invenerat. Interea animadverſiones philologicas in numos Conſulares IIIViri Marci Antonii protulit in lucem, quibus obtinuit, ut aliquid certi conſtitui poſſet de illius Reipublicae & bonorum peſtis legionibus, nonnulliſque ejuſdem expeditionibus ac geſtis, quae obſcure & ambigue, aut ſaltem

inconſtanter ab hiſtoricis traduntur. Statuit primo Triumviris Rempublicam gerentibus varium minimeque conſtantem in caſtris Romanorum pro Imperatorum arbitratu ſuſceptique belli opportunitate fuiſſe legionum numerum; has ſupra XXX. ab Antonio fuiſſe conſcriptas; Trajanum legionem triceſimam neutiquam inſtituiſſe, Romanaeque militiae primum adjunxiſſe, ſed extinctam abrogatamque, occaſione belli Dacici, renovaſſe; varia uni eidemque legioni adhaesiſſe nomina, prout rerum conditio ferebat; ac demum monumenta legionum triceſimae & ultra in Donii Collectaneis, quadrageſimae inter Fabretti domeſticas inſcriptiones, & alia hujuſmodi tanquam dubia incertaeque fidei immerito a nonnullis traduci. At quia non minus navalibus, quam pedeſtribus pugnis famam & imperium quaeſivit M. Antonius, & varia navium forma in illius numis apparet, de navium bellicarum ſtructura ita diſſeruit Paciaudius, ut multa, quae in diſceptationem quaeſtionemque vocabantur ab eruditiſſimis viris, ſe certius explanaturum profeſſus ſit. Nam etſi ex Antonii ipſius numis, aliiſque com-

pluribus conjectare fas ſit, triremes (& de triremibus praeſertim quaeri ſolet) actas fuiſſe remigibus a prora ad puppim aeque procurrentibus; quia tamen alii occurrunt numi, in quibus remi a thalamo ad tranum ad diverſam altitudinem quaſique per gradus protenſi viſuntur, ut clare quavis in trireme appareat fuiſſe nautas imos, medios, ſummos, quorum alii longioribus, alii brevioribus navem propellebant remis, idque mirifice confirmant alia antiquissima monumenta, & pictura exquiſitiſſimi operis inter rudera Palatini montis detecta, nec non veterum ſcriptorum loca plura, tantum his omnibus tribuit Paciaudius, ut nihil habuerit firmius quod teneret, quam quod illa prodebant. Certius etiam ex aliis numis conjecit quae fuerint dignitates, quas M. Antonius in Republica conſecutus eſt, & dum ſuppoſititios ac dubios a genuinis diſtinguit, & multorum ſcriptorum errores corrigit, & artificum fraudes detegit, & quaedam praeſtantiora numiſmata nunquam antehac vulgata, quae habuit ab amiciſſimo viro Antonio Savorniano Veneto Patricio explicat, ſe rei numiſmaticae peritiſſimum oſtendit. Eſt in

extremo libro explicatio tabulae anaglyptae Peloponneſiacae, quae quod Medicum ſellularium repraeſentet, occaſionem obtulit Paciaudio de veterum medicorum conditione, de eorum veſte, ſella & hypopodio, de honoribus, quibus illuſtriores ſaluberrimae artis cultores affecti fuerunt, & de veterinariae peritis ſcriptoribus diſputandi. Quid rei, inquies, inter M. Antonium, & medicum ſedentem in taberna, abaco, ferramentis chirurgicis, & miniſtro πημενταριῳ inſtructa, ad quam nobilis mulier valetudinis cauſſa equo advecta venit? Satis conſonum putavit Paciaudius, cum ad Franciſcum Roncallium multis litteris, ſed praeſertim medicina doctiſſimum diſſertationes ſuas philologicas inſtituiſſet, ſi de veterum medicina quaedam haud communia dixiſſet, quod donum & amico dignum, & gratum omnibus iis fuit, qui priſcarum rerum notitia delectabantur. Laudarunt praeſertim Paciaudii opus Scriptores Ephemeridum Lipſienſium (1)

(1) Vide Acta Eruditorum an. 1758. a pag. 385. ad pag. 397.

Digitized by Google

quanquam ab eo diſſentire videantur, qui retulit ad Aeneam atque Didonem veterem, de qua diximus, picturam, & factam a Lydio putavit. In illa enim potius Annam ſororem expreſſam a Marco Ludio fuiſſe multis argumentis probant, & ita diſputant de medicorum nobilitate, ut ſuffragari videantur Heineccio, qui ad eos non adduci aegros, ſed ipſos per domos curſare, contra ac contendebat Paciaudius, pluribus docuerat (1). Ceterum de univerſo opere ſic judicant, ut ex eo apparere affirment, quanta ſit Auctoris modeſtia atque humanitas, dum ceteros confutat, quantum ingenium, quanta eruditio, dum ſuas proponit ſententias, quam demum ille *dignus Italia eſſet*, quam dixerant, *litterarum ſedem, eloquentiae domicilium, & praeſtantiſſimorum ingeniorum ſeminarium quoddam*. Addunt & illud, ex hoc uno opere intelligi poſſe, quantis illum oporteat eſſe inſtructum praeſidiis ingenii, doctrinae, artium, ſtudii,

(1) Antiquit. Rom. lib. 1. Tit. xxv. §. xix.

laboris exercitationiſque, qui ad explicandas antiquitatis reliquias aggreditur. His praeconiis alacrior factus Paciaudius cum Muſis, id eſt cum politiore doctrina omnino ſe commercium habere velle deliberavit; quapropter libentiſſime omnem captabat occaſionem gratificandi amicis ab eo aut poſtulantibus, aut exigentibus veterum monumentorum explicationem. Cum autem in omnibus illius ſcriptis de priſca vetuſtate mirifice eniteat ingenii magnitudo & acumen, bene & ſapienter adhibita ratio, atque eruditio, veri inveniendi cupiditas, prudens ſincerumque judicium, oratio plena nervorum atque elegantiae, atque ad perſuadendum non modo, ſed etiam ad delectandum accommodata, haec in primis eminent in opere, quod inſcripſit, *monumenta Peloponneſia commentariis explicata*, edidítque Romae an. MDCCLXI. quo ſane effecit, ut nemo antiquariorum, qui peritiſſimi putabantur, illi anteponeretur. Erat hujuſmodi monumentorum ingens copia apud Bernardum Nanium Senatorem Venetum omnibus rebus ornatiſſimum, ſic ut omnes ii, quos haec ſtudia delectabant, cum Venetias accederent, illa viſere vellent,

judicarentque domum non domino magis, quam civitati ornamento eſſe. Quaedam etiam illorum viri eruditione praeſtantes explicaverant, ſed cum ad vetera magnis ſumptibus collecta aut per ipſum, aut per majores illius non mediocris poſtremis hiſce temporibus facta fuiſſet acceſſio opera praeſertim Jacobi Fratris Venetorum claſſis Praefecti, vehementiſſime Bernardus rogavit Paciaudium, ut ſuo more docte & erudite aut de omnibus, quae ornabant muſaeum ſuum, aut ſaltem de nobilioribus e Peloponneſo viciniſque inſulis illuc advectis diſſereret. Laetatus ille mirifice, ſibique gratulatus eſt oblatam occaſionem fuiſſe & tanti viri voluntati & ſuis ſtudiis ſatis faciendi, & ut eſſet alacrior ad ſcribendum, fecit monumentorum ipſorum praeſtantia, in quibus plurima continentur, quae pertinent ad leges, mores, religionem, magiſtratus, arteſque, quibus Graeci prae ceteris populis inclaruerunt. Duo autem ſunt monumentorum genera, quae his commentariis concluduntur, alia quae ſcripta, alia quae figurata appellantur. Prioris quidem generis omnia quinque & quadraginta late copioſeque explicavit Paciau-

ciaudius, ſicque ordinavit, ut quae ſe ſe, ut ita dicam, mutuis officiis ad verum probandum adjuvarent, conjuncta & ſociata eſſent. Quoniam vero multa erant obſcura & ambigua, quoties de iis celebriorum ſcriptorum ſententias attulit, nunquam non interpoſuit judicium ſuum; ſed nihil inconſulte ac temere judicat, & dum ea dicit, quae probabilitate aliqua ejus animum percuſſerunt, neſcias profecto utrum ſolertiam ejus magis admirere, an verecundiam. Illa, quae habebant facillimam cognitionem, cum de ſtatuis & anaglyptis diſſeruit, praetermiſit. Nolebat enim communia & pervagata, quae faſtidium facile pariunt, ſed nova & recondita, atque ex interioribus litteris, & praeſertim Graecis petita ſcripto mandare. Neque minus illud vitium fugit, ut incognita pro cognitis haberet, & levibus conjecturis aſſentiretur, eaque propter nihil dixit de luxatis & hiulcis quibuſdam fragmentis, ex quibus aliquid certi, aut probabilis exprimi poſſe deſperabat. Quod a Pindaro dictum accepimus, operis fontem & ingreſſionem ſplendidam & magnificam eſſe oportere, id Paciaudius in ſuis commentariis edendis praeſti-

ſtitit. Orditur enim ab epigrammate diffractae columnae inſcripto, ex quo novum Dianae Κελκαίας agnomen, formam ſtructuramque horologii (donarii genus, de quo cetera marmora ſilent) & novum Ὑποδικακονεσης officium diſcimus. Ut ſuam de horologiis diſſertationem illuſtriorem redderet ex Herculanenſibus & Antiatibus monumentis bina quaeſivit & explicavit, quae reprehenſionibus cauſſam dederunt. Objurgatio Neapolitanorum multum habuit acerbitatis; quae vero attulit Winkelmanius (1) ut probaret non ad Fortunam ac ſortes Antiates, ſed ad Oreſtis judicium ab Areopago pronuntiatum pertinere horologium, & quidquid exprimitur in nobiliſſimo monumento Antii reperto, quod a Corſiniis poſſidetur, plena ſunt officii ac moderationis, ut non cum homine, cujus opus in caelum extulit, ſed cum cauſſa diffidere videatur. Quia mos erat Paciaudio undique arceſſere orna-

(1) *Vide ejus opus, quod inſcribitur*; Monumenti antichi inediti, pag. 203.

menta ſcriptorum ſuorum, conjunxit cum diſſertatione de horologiis explicationem cujuſdam anemoſcopii recentiſſime in agro Romano inventi, quod occaſionem illi dedit omnem pene veterum Coſmographiae doctrinam exponendi. Lapis ſane pretioſiſſimus non modo XII. ventorum nomina aptis intervallis diſtincta, ſed & meridianum, aequatorem, utrumque tropicum atque binos polares circulos exhibet, ut exinde accuratum planiſphaerium cum anemometro copuletur. Artifex illius fuiſſe dicitur Eutropius, nec levi conjectura ducitur Paciaudius ad ſuſpicandum, haud diſtinguendum illum eſſe ab hiſtorico, quem etiam naturae ſcientia claruiſſe ſcimus. Ab his ad legem ſacratam Ithacenſium tranſit, quae ita deſcribitur, ut marmor non modo populi illius religionem prodat, ſed & ſacra Dianae praedia, agros decumanos, frugum vectigalia templo impartienda commemoret, ac diras poenaſque denuntiet poſſeſſori, aut conductori indictas, qui conventum legemque ſancitam violaſſet; quae quamvis in antiquorum libris disjuncta diſperſaque reperiantur, in hoc tamen Ithacenſium conſulto col-

lecta conceptiſque verbis expreſſa leguntur. Hinc ſeges ac materia Paciaudio ad explicanda multa, quae ſine eruditione Graeca intelligi non poſſunt, ut non hominem audias paucis & vulgaribus litteris ad rei antiquariae ſcientiam, ſed multis & interioribus eruditum, qui etiam, adhibita diſſerendi elegantia, cum opus eſt, ratione & via philoſophatur. Ineptus ſane judicarer, ſi omnia ſingillatim recenſere vellem monumenta, quae in hoc opere a Paciaudio & diligentiſſime & docte explicantur. Is ſane multum Graecam hiſtoriam Graecorumque inſtituta, munera, religionem, mores atque artes illuſtravit, effecitque, ut illos aut inſcitiae, aut temeritatis ſuae poenituerit, qui haec ſtudia ſicuti levia contemnere videntur. Nanius ipſe, qui ſane oculos eruditos habebat, multum per ipſum additum fuiſſe ornamenti ad muſaeum ſuum judicavit, quapropter ab eodem, tanquam ab artifice ſummo poſtulare non deſtitit, ut quoniam tantum habebat otii, quantum jam diu non contigerat, & nova interim ex Peloponneſo Venetias advecta fuerant monumenta, non gravaretur exaedificare id opus, quod inſtituerat. Id ſe

praeſtiturum ſpopondit Paciaudius, quod ex his ſtudiis maximus ſibi fructus eſſet & jucunditas, quodque ſemel iterumque factum promiſſum ſolvere exoptabat de Peloponneſiorum monumentorum ſcriptura ſeparatim & copioſe diſſerendi, ex qua cum de varia ipſorum monumentorum aetate, tum de multiplici Graecorum paleographia aeſtimare liceret. Haec tamen neutiquam praeſtitit non timiditate & ignavia, ſed quia neceſſitas quaedam illi impoſita fuit omne ſuum tempus omniaque ſtudia ſua ad alienum arbitrium conſumendi. Vivebat, ut ſupra commemoravimus, ſuaviſſime Romae, quod erat apud multos & Cardinales, & Regum Principumque Legatos propter opinionem doctrinae & integritatis honoratus, quod ſecundum dignitatis gradum a Teatinis ſuis an. MDCCLIII. (Procuratorem Generalem vocant) obtinuerat, & quod non ſolum qui erant eruditi, ſed etiam qui eſſe ſimulabant, ejus jucundiſſimam conſuetudinem requirerent. Sed quia omnes ſapientes feliciter fortunateque vivunt, dum conſulant ſtudiis ſuis & aliorum utilitati, oblatum a Philippo Borbonio Parmenſium

& Placentinorum Duce munus, ut praeeſſet bibliothecae, de qua comparanda cogitabat, & operibus, quae ſiebant ad detegenda vetera monumenta in Placentinis montibus, ubi Velleja fuerat, facile ſuſcepit. Verum antequam illud obiret, negare haud potuit Friderico Marcello de Lantibus Cardinali, quin comitaretur magnae ſpei adoleſcentem Aemilium de Lantibus, dum is dignitatis inſignia deferebat Choiſeullio & Rhoanio Gallorum nobiliſſimis, quos Clemens XIII. Novembri an. MDCCLXI. in Cardinalium collegium adlegerat. Quod Gallis Paciaudius erat notiſſimus, magnis ab iis honoribus affectus fuit; eorum litterarios coetus frequentavit, & illuſtriorum benevolentiam ſibi conciliavit. Inviſit & Latharingiam, ubi a Stanislao Rege humaniſſime acceptus fuit; & cum rediens ad Italos ſuos tranſiret Veſontium, cum magna ſignificatione voluntatis collegarum erga ſe in illius urbis Academiam cooptatus fuit. Tandem exeunte an. MDCCLXII. Parmae conſedit, ut ad omnia, quae vellent Princeps & omnium illius conſiliorum hortator & auctor Fellini Marchio, praeſto eſſet. Paucorum

annorum ſpatio (erat enim Fellinius in luxum effuſus, ut nil niſi magnificum illum delectaret) hujuſmodi inſtruxit Paciaudius bibliothecam, quae elegantia omnes Italicas ſuperaret, perpaucis copia & raritate librorum inferior eſſet. Neque illam ſolum indicibus locupletavit, ſed & de rarioribus libris, & de illuſtrioribus, aut non admodum notis ſcriptoribus ea litteris mandavit, quae non facicile potuiſſet, niſi fuiſſet omnibus iis artibus, quae ſunt libero homine dignae, perpolitus. In hoc ſcriptorum genere admirabilis omnino ejus ſapientia videri debet, eaque conjici poteſt, ex iis, quae ipſe de praeclariſſimo Alcorani codice an. MDCCLXXII. vulgavit, & hoc ipſo anno, tu Bodoni elegantiſſime, & ſcriptorum Paciaudii cuſtos diligentiſſime, de eroticis ſcriptoribus ex hoc veluti theſauro ſumpta emiſiſti, ut tuam Longi editionem exornares. Neque minus Vellejatibus ſatisfecit. Scripſit enim de iis copioſe, utens Gallorum lingua, notavitque ubi fuerit eorum urbs, a quo quibuſque temporibus orta, quos honores acceperit, quos magiſtratus habuerit, quae bella geſſerit, quas leges ſanxerit, quas

paſſa fuerit vices, & quae ad nos uſque illius pervenerint monumenta. Haec non ſolum ordine, ſed etiam momento quodam & judicio diſpoſuit, ut ex quibuſdam capitibus recte explicatis ipſius urbis hiſtoria cognoſci poſſet. Diſſertationem ad Cayluſium Comitem miſit; ſed quae integra referri debebat in Pariſienſis Academiae Acta, a ſcriptoribus quibuſdam Ephemeridum mutila adeo ac deformata vulgata fuit, ut Auctor vix illam agnoſceret, & pene ſe fruſtra laborem in illa contexenda conſumpſiſſe judicaverit. Sed alia etiam majora fuerunt, quae curare debuit juſſu Parmenſium Ducis. Pulſis enim e ſuo regno Jeſuitis, qui ſcholas in ipſo habebant, ſic inſtitutioni adoleſcentium conſulendum putavit, ut praeterita tempora minime recordarentur. Inſtituit & in ipſa urbe Parma publicum Gymnaſium, & harum omnium rerum curam & ſtudiorum Praefecturam Paciaudio commiſit. Porro ipſe quidem factus eſſe videbatur ad hoc munus, quod & de hominibus, & de doctrinis omnibus rectiſſime judicabat. Plura ipſius Ducis nomine litteris mandavit, cum omnia ad certam rationis normam eſſent dirigenda.

Invitavit homines doctrina praeſtantes ad publice tradendas diſciplinas, & ne ullum ipſi urbi deeſſet ornamentum, te, immortalis Bodoni, Roma evocavit, ut in eadem omnium nobiliſſimum typographium inſtitueres, cujus memoria manebit, dum honos habebitur Graecis & Latinis litteris. Atque hae non modo, ſed & Hebraicae, philoſophia, matheſis, medicina, anatomia, omniſque res phyſica ita per ſummos viros excolebantur Parmae, ut in ea muſae omnes ſedem collocaſſe viderentur. Vel ipſa ſpectacula plena erant elegantiae ac ſumptus, & ſiquid erat, quod ad memoriam poſteritatis propagandum eſſet, aderat ſtatim Paciaudius aut architectus operis, aut inſcriptionum auctor. Tali modo cum omnium oculi in eum eſſent conjecti, & bene de nomine & dignitate ſui Principis meritus eſſe judicaretur, quia tamen, mortuo Philippo Duce, adverſa Fellini Marchioni acciderunt, quorum cauſſa cedere iis locis coactus fuit, in quae non modo auctoritatem, ſed pene imperium tenuerat, particeps illius calamitatum Paciaudius fuit, quaſi conſiliorum quoque ejuſdem particeps fuiſſet. Sed quam-

vis Fellinio omnia ſua ſtudia atque officia pro ſua neceſſitudine & debuiſſe confiteretur, & praeſtitiſſe arbitraretur, quia tamen nihil erat, de quo merito coargui poſſet (fuit enim ſemper in omni actione & cautus, & prudens, & providus) magna in ſpe erat non diuturnam fore rerum adverſarum perpeſſionem ea in urbe, cui tot pepererat ornamenta, & in qua dominabatur Princeps, cujus omnes ſuſpiciebant religionem atque aequitatem. Et hic quidem ubi agnovit Paciaudii innocentiam, & ubi ejus inimicorum, qui tanto viro deeſſe minime poterant, impetus reſederunt, revocavit ipſum ad ſuum munus penſumque, a quo paucos tantummodo menſes abſuit, & ad quod libentiſſime rediit, quamvis in otio & in litteris vivens apud Teatinos ſuos, remotus ab oculis populi ſe beatum fore ſperabat. Publicum enim eſſe oportebat ſuae fidei & innocentiae teſtimonium, ut ab ſe ſe omnem ſuſpicionem propulſaret. Mirabile vero fuit quomodo Chriſtianus & religioſus homo adverſam fortunam tulerit: magna enim eſt vis conſcientiae, ut nihil timeant & doleant illi, qui ſibi nullius culpae conſcii ſunt.

Digitized by Google

Poſt haec excitatur iterum, ſi non acerbum & apertum odium, attamen aut invidiae, aut odii non diſſimilis offenſio, qua de cauſſa Paciaudius, qui tranquillitatem maxime expetebat, a publicis muneribus ſe removere, ad otiumque perfugere deliberavit. Aegre id obtinuit a Ferdinando Borbonio; hic tamen coactus ab ſe dimittere cariſſimum hominem, ultro pollicitus eſt ei omnia, quoties redire Parmam vellet. Ut vero rediret triennio poſt quam illa acciderant, & ipſe jucundiſſime vivebat Auguſtae Taurinorum in ſinu & complexu ſuorum, vim quodammodo ei intulit, cui idcirco ceſſit Paciaudius, ut ne quas inimicitias reſidere in ſe, ejuſque benevolentiae ac fidei minus confidere arbitraretur. Tum in vocibus invidorum reſonare coepit quiddam moderatius atque humanius, & dum Paciaudius eximium ac ſingulare ſuum ſtudium Ferdinando Duci & litteris praeſtabat, illi plaudere cogebantur vel ii, qui paullo ante fuerant inimici. Cum porro ipſe pergeret ad ea ſolatia, quae non modo ſedatis moleſtiis jucunda, ſed etiam haerentibus ſalutaria ipſi fuerunt, inchoatum antea opus de hiſtoria

Magnorum Magiſtrorum Melitenſis Ordinis ad tria volumina perduxit, vulgavitque Parmae an. MDCCLXXX. Veſtibulum & aditum ad illud fecit illuſtrem. Nam ea de ratione conſcribendae hiſtoriae praefatus eſt, quae illum in dicendo elegantem, in exiſtimando admodum prudentem, & artis, quam tum primum profitebatur, peritiſſimum declarant. Cum vero hiſtoriam ſuam ab Ordinis ortu repetat, ab iis ſcilicet temporibus, quibus capta Hieroſolyma a Goffredo Buliono fuit, decem Magnorum Magiſtrorum vitas ſic explicat, ut iis omnem rerum memoriam, quae, ipſis Familiam gubernantibus, acciderunt, breviter, & ut mihi quidem viſum eſt, perdiligenter complexus ſit. Sed quid, inquies, poſtquam Melitenſium equitum res ab aliis hiſtoricis litteris mandatae fuerunt, habet opus iſtud novi, & quod uſui eſſe poſſit? Illud vero & nova quidem multa, & eam utilitatem, quam requirebat Paciaudius, ut, explicatis ordinibus temporum, uno in conſpectu viderent Lectores & quae ipſi & prudenter & pie & fortiter geſſerunt, ut Chriſtianorum gloria propagaretur, & qui eſſent mores, conſuetudines,

inſtituta et leges tenebricoſorum temporum, et per quos gradus res Melitenſium, ſeu Hieroſolymariorum equitum creverit, et ad eam, in qua nunc eſt, amplitudinem pervenerit. Ea propter non modo hiſtorici, ſed et politici ac philoſophi ſaepe partes agit, judicat ſapienter de iis, quae ceteri ſcriptores tradiderunt, et ut diligentiſſimus omnis antiquitatis inveſtigator cognoſceretur, ſigna, diplomata, ceteraſque hujuſmodi annoſas chartas explicat, interpretatur, omniaque optimo in lumine collocat. Hiſtoriam perduxit ad exitum uſque ſaeculi XII., et ut illa ornatior eſſet, eſſinxit numiſmata et inſcriptiones, quas maxime convenire Magnis, de quibus ſcripſit, Magiſtris rebuſque ab iis geſtis putavit. Et in hujuſmodi fictionibus, quarum exemplum primi Galli dederunt, erat ille quidem elegans, felix, copioſus, cujus laudis magnum quidem extabit documentum, ſi a te, Bodoni, proferetur, ut ſpero, in lucem *manuale* tuum *typographicum* Ruſſorum Reginae dicatum, cujus multa praeclara geſta, de quibus nulla unquam ſilebit aetas, ita numiſmatibus ipſe expreſſit, ut nihil excogitari potuerit elegantius. Vellem e-

quidem, ut a te quoque ederentur tot aliae inſcriptiones Latinae, quibus ille aut munera mittere ſolebat amicis, aut mortuos laudare, aut maritalia conjugia fauſta precari, aut vota ſolvere, aut poſteris memoriam prodere earum rerum, quas in bonum publicum Principes contulere, aut amicorum ipſorum cauſſa ludere. In his enim omnibus non adumbratam, ſed expreſſam antiquae elegantiae ac feſtivitatis imaginem licet intueri. Quid venuſtius, ut unam exempli cauſſa ponamus, illo emortuali canis elogio, quod unum ſatis eſſet ad convincendos erroris illos, qui contendunt Latinam linguam minime aptam eſſe ad exprimendas cum dignitate res ab antiquorum conſuetudine remotas?

Melampo . actaeonis . & lyciſcae . filio . cani venatico . ſtirpe . cenomano . omnium . quos tulit . gallia . tranſpadana . praeſtantiſſimo . cui . natura . ſic . praevalidos . tribuit . lacertos . ars . vero . & inſtitutio . tantam . ſagacitatem . fidemque . ut . capreolos . damasque . oculis . emissiciis . exploratas . per . ſaltus . et . dumeta . pernix . inſequeretur .

ſluenta . quae . ſemitam . intercıperent . impavidus . tranſnataret . leporum . perdicumque . veſtigia . olſuctu . ſcrutatus . eaſque . detectus . vigil . tacitus . immotus . obſervaret . caudaeque . trepidatione . de . praeda . moneret . leviſomnus . excubias . ad . poſtes . ageret . fures . latratu . domo . ac . pomario . prohiberet . neminem . tamen . morsu . corriperet . domino . fidiſſimus . lares . ſubeunti . aſſultans . blandiretur . noctu . facem . aut . laternam . dentibus . arreptam . illi . praeferret . viamque . monſtraret . mane . coquum . in . forum . eſcarium . comitaretur . indeque . nexilem . calathum . cibariis . refertum . domum . reportaret . quin . ad . famem . pellendam . vel . fruſtulum . ſuffuraretur . munditiae . retinentiſſimus . nullam . aedium . partem . aut . ſupellectilem . umquam . foedaret . herus . citam . ipſius . mortem . deplorans . ſepulcrum . dedicavit . in . lucu . malis . citrinis . conſito . ad . oram . lacus . Benaci . IX. Kalendas . ſextiles . MDCCLXXIX. vixit . annos . VII. menſes . III. dies . XIV.

Profecto nihil mirabilius elegantia Paciaudii; quae non modo apparebat in omnibus illius ſcriptis, ſed & in omni re, quam gerebat, quaque utebatur. Non enim dedecere religioſum hominem arbitrabatur munditiam, ſi non ſit odioſa, nec exquiſita nimis. Idem & feſtivus atque urbanus, & cum afflueret omni lepore ac venuſtate, cupide omnes ejus requirebant conſuetudinem. Nec ſane facile hominem inveneris, qui magis floruerit aut potentiorum gratia, aut aequalium amicitiis. Coluit vero praeſertim illos, tum Italos, tum exteros, ac praeſertim Gallos, quibus plurimum tribuebat in omni doctrina & arte, qui antiquitatis & eruditionis ſtudia exercebant. Ajebat enim cognationem ſtudiorum & artium non minus eſſe conjunctam, quam illam naturae. Cum quibuſdam illi quoque erat hoſpitium, narravitque mihi Sibilliatus (virum doctrina praeſtantem, & cui plurimum debeo, ſaepe et ſuaviter nomino) cum diverſaretur Parmae apud Paciaudium, nihil in illo vidiſſe niſi quod ſpecimen eſſet humanitatis, ſalis, ſuavitatis atque leporis. Hoc tamen unum in illo ſe deſiderare addebat, ut mollior eſſet ad alio-

aliorum interdum amplectendas ſententias praeſertim in philologicis rebus, quae non veritati, ſed veriſimilitudini plerumque illigatae ancipiti marte oppugnari poſſunt, ac propugnari. Religionis cultor eximius Romanis Pontificibus, quorum auctoritati & fidei & prudentiae Chriſtus ſacra religionemque in primis commendavit, ſingularem praeſtitit obſervantiam, & gloriari in primis videbatur, quod carus fuerit Benedicto XIV. quo ſane nemo doctior, nemo ſapientior, nemo honoratior extitit. Cum vero incurrebat in aliquem, qui eorum majeſtatis eſſet inimicus, quique religionis corruptelam moliretur, commovebatur incredibili dolore, & lamentabatur propter multorum delicta etiam ad innocentium periculum exarſiſſe tempora calamitoſiſſima. Actiones ejus, poſtremis praeſertim vitae ſuae annis, aequabant religionis ipſius, quam ſtudioſe adeo colebat, dignitatem, & praeceptor inſignis non tam dicendi, quam vivendi (1) praeclara exempla reliquit ad imi-

(1) *Quaedam officiorum praecepta ſibi praeſertim tenenda putavit, quae ſcripſit in libello precum, quibus quotidie utebatur.*

Digitized by Google

tandum. Triennio ferme aegrotavit, & dum ſe exercebat in labore (nunquam enim intermiſit ſtudia doctrinae) patientiaque & animi & corporis, illam beatorum ſedem contemplabatur, in quam tanquam in portum ex longa navigatione venire exoptabat. Poſtremo apoplexis illum oppreſſit, ex qua ſupremum diem obiit poſtridie Kal. Februarii an. MDCCLXXXV. bonis omnibus & Ferdinando praeſertim Parmenſium Placentinorumque Duci magnum ſui deſiderium relinquens. Sepultus eſt in Aede, quae eſt ad Teatinos, & quamvis nullus ſepulcrum ejus ornet titulus, diu tamen volitabit per ora hominum Paciaudii nomen, qui adeo litteras adamavit, atque humanitatem. Haec habui, amantiſſime Bodoni, quae de communi amico memoriae proderem, ut ei, etſi nequaquam parem illius ingenio, at pro noſtro tamen ſtudio meritoque gratiam, debitamque referrem.

Digitized by Google

OPERA EDITA.

Orazione per le lodi di S. Caterina Vaſtanenſe detta in Genova nella Chieſa di S. Brigida l'anno 1738. in Genova ec. *Edita iterum Venetiis fuit a Franciſco Pittero an. 1752.*

Orazione detta agli Arcadi della Colonia Liguſtica in onore di S. Tommaſo d'Aquino il dì 31. di Gennajo 1739. *Edita fuit cum commentariis, quae in illam fecit Auctor, Venetiis 1740. in libro, cui titulus*: Miſcellanea di varie operette Tom. I. preſſo Gio Maria Lazzeroni in 8.

Orazione per le lodi de' SS. Coſma e Damiano, Venezia 1739. *Edita iterum fuit biennio poſt a Franciſco Pittero.*

Lezione Fiſica intorno ai principj Newtoniani al Chiariſſimo Sig. Bartolommeo Beccari. *Extat in Vol. IV operis, quod ſupra memoravimus*, Miſcellanea di varie operette ec., *cujus in VI. Volumine extat etiam Diſſertatio*

Delle antichità di Ripatranſona.

Ragionamento detto in Vaticano al Sacro Collegio il Venerdì Santo 1745. In Napoli 1745. preſſo Novello de Bonis in 4.

Orazione detta in Napoli ne' ſolenni funerali celebrati da quella Città nella morte del Re Cattolico Filippo V. In Napoli 1746.

Diſſertazione intorno ad un'antica Inſcrizione al Co. Gian Rinaldo Carli Profeſſore di Nautica nell' U-

niverſità di Padova. *Extat in Vol. XXXXII. operis, cujus eſt inſcriptio*. Raccolta degli opuſcoli Scientifici e Filologici, in Venezia preſſo Simone Occhi in 12.

Diſſertazione ſopra una ſtatuetta di Mercurio del Gabinetto di S. E. il Sig. Marcheſe dell' Oſpital Ambaſciatore di S. M. Criſtianiſſima alla Corte di Napoli 1747. Napoli preſſo Novello de Bonis in 4.

Oſſervazioni ſopra alcune ſingolari e ſtrane medaglie. Napoli 1748. preſſo Novello de Bonis in 4.

Lettera al Sig. D. Giuſeppe di Capua Capece de' 27. Giugno 1747. intorno alle due campane della Chieſa Parrocchiale di S. Giovanni de' nobili Uomini di Capua. *Edita cum Diſſertatione fuit* del Sig. Giuſeppe di Capua Capece intorno alle due ſteſſe Campane. In Napoli nella Stamperia di Novello de Bonis 1750. in 4.

Squarcio di lettera al nobiliſſimo Sig. Abate Pio Enea Marcheſe degli Obizi ſopra la città di Eraclea o Ercolano. *Extat in Vol. XXXVIII.* Raccolta d' Opuscoli Scientifici e Filologici, Venezia 1748. appreſſo Simone Occhi. *Non abſimilia retulit Jo. Lamius* in Vol. XXXXVIII. Ephemeridum.

Medaglie rappreſentanti i più glorioſi avvenimenti del Magiſtero di S. A. Eminentiſſima Fra D. Emanuele Pinto. In Napoli 1749. in fol.

De Veteri Chriſti Crucifixi ſigno, & antiquis Crucibus, quae Ravennae ſunt, Diatribe. Accedunt monumenta alia nondum edita. *Extant in Vol. III.*

Symbolarum litterariarum, *quod edidit Florentiae Antonius Franciſcus Gorius an.* 1749. in 8.

De Sacris Chriſtianorum Balneis liber ſingularis, Venetiis 1750. Ex typographia Radiciana in 4.

De Sacris Chriſtianorum Balneis liber ſingularis ſecundis curis emendatior & auctior. Romae excudebant Fratres Palearini 1758. in 4.

De rebus Sebaſtiani Paulii Congregationis Matris Dei commentarius epiſtolaris ad Scipionem Maffejum. Neapoli 1751. apud Novellum de Bonis.

Diatribe, qua Graeci anaglyphi interpretatio traditur Romae 1751. apud Fratres Palearinos in 4.

ΣΚΙΑΔΙΟΦΟΡΗΜΑ ſive de umbellae geſtatione Commentarius, Romae 1752. apud Fratres Palearinos in 4.

De Beneventano Cereris Auguſtae menſore ΕΞΗΓΗΣΙΣ. Romae 1753. ex Typographia Palladis in 4.

De Cultu S. Joannis Baptiſtae antiquitates Chriſtianae. Accedit in veterem ejusdem Ordinis liturgiam Commentarius. Romae 1755. apud Fratres Palearinos in 4.

Puteus ſacer agri Bononienſis juſſu Sanctiſſimi Domini noſtri Benedicti XIV. P. M. commentario illuſtratus, Romae 1756. apud Fratres Palearinos in 4.

De Athleatarum ΚΥΒΙΣΤΗΣΕΙ in Palaeſtra Graecorum Commentariolum. Romae 1756. apud Fratres Palearinos in 4.

Ad nummos Conſulares IIIviri Marci Antonii animadverſiones philologicae. Accedit explicatio

Tabulae Peloponnenſis. Romae 1757. apud Fratres Palearinos in 4.

Lettera ſcritta l'an. 1758. al Principe di Biſcari con una medaglia per l'Accademia degli Etnei inſtituita in Catania. *Edidit hanc epiſtolam Florentiae an. 1776. cum deſcriptione Muſei ejusdem Principis Dominicus Seſtinius.*

Monumenta Peloponneſia Commentariis explicata Volumen I. & II. Romae 1761. apud Fratres Palearinos in 4.

Conſtituzione per i nuovi Regj ſtudi. In Parma nella Stamperia Carmignani 1768. in 4. *Ferdinandi Ducis nomine hanc Conſtitutionem ſcripſit.*

Regolamento per le ſcuole del Diritto Civile e Pontificio.

Regolamento per la collazione de' Gradi Accademici.

Periodus ſtudiorum.

Ara Amicitiae, Parmae in Foro majori. *Cum monumentum ſane nobiliſſimum factum fuiſſet, quo poſteris memoria proderetur nuptiarum Ferdinandi Borbonii & Amaliae Auſtriacae, & adventus Caeſaris Parmam, Paciaudius inſcriptiones fecit, ipſumque monumentum aere expreſſum ſcripto declaravit.*

Programma alle muſe italiane. *Hoc programate invitantur Tragoediae & Comoediae cultores, propoſitis praemiis, ad accipiendam Parmenſem coronam.*

Ad praeclariſſimum Alcorani Codicem Regiae Parmenſis Bibliothecae Prologus, ex Regia typographia 1772. in 8. *Codex inter exuvias Magni Viſiris*

Mahometi IV. inventus fuit, quando is Chriſtianorum armis III. Id. Septembris an. 1683. victus fuit. Oblatus ille Leopoldo Caeſari fuit, qui ipſum Eleonorae uxori, haec autem Carolo Coſtae Jeſuitae Placentino, qui illi erat a confeſſionibus, dono dedit.

Epithalamia exoticis linguis reddita. Parmae ex Regio Typographeo 1775. in fol. max. *Ad Paciaudium ſpectant Latinae omnes inſcriptiones.*

In nuptiis Caroli Emmanuelis Ferdinandi Sabaudi Pedemontii Principis & Mariae Adelaidis Clothildis Borboniae inſcriptiones ad aedes Judaeorum poſitae. *Auctor harum inſcriptionum imitatus eſt laudandi morem Hebraeorum. Minime commemorandas tot alias inſcriptiones eſſe putamus, quae in varias litteratorum ephemerides relatae fuerunt, ipſo Paciaudio, dum in vivis erat, permittente.*

Memorie de' Gran Maeſtri del Sacro Militar Ordine Geroſolimitano Tom. III. Parma dalla Stamperia Reale 1780. in 4.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

ANTONIO MARIO IORCNAE
SOCIETATIS ITALICAE PRAESIDI S. P. D.

P*Hiloſophiam, ut eſt apud Ciceronem, Dii paucis quibuſdam veram dederunt, neque aliter ſenſiſſe videtur vir omnium ſapientiſſimus Galileus, cum affirmare minime dubitaverit plurimos eſſe, qui illam ignorant, perpaucos, qui minimam illius partem teneant, ac ſolum Deum univerſam callere* (1). *Nihilo tamen minus ea eſt vel ambitio, vel temeritas hominum, ut ſe putent ad naturae univerſae, ut ita dicam, animum ac mentem penetrare poſſe, & confidentiſſime pronuntiant, quid ſit materia, ex qua quaeque res efficiatur, & quae vis ſit, quae quidque efficiat, & quae ſint cauſſae primae & ſecundariae omnium pene naturalium effectuum. Quod ſi*

(1) Saggiatore n. 9.

Deus tales nos genuiſſet, ut illas facile intueri & perſpicere poſſemus, neque in profundo veritatem, ut ajebat Democritus, penitus abſtruſiſſet, haud eſſet ſane quod quiſquam ſummos perferret labores in exquirenda doctrina, in qua hanc utilitatem maximam eſſe arbitror, non ut ad noſcenda multa per illam ducamur, ſed ut intelligamus pauca lucere, multo majora latere craſſis occultata & circumfuſa tenebris, in omnibus ſuſpiciendam admirandamque eſſe ſummam Auctoris naturae ſapientiam atque intelligentiam, illum agnoſcendum ex tot mirabilibus operibus, cum horum nihil caſu & fortuito fieri potuerit, & eſſe mundum, & caelum, & aſtra, & terram & animos, non ut curioſe nimis de iis diſputemus, ſed ut per eos ad ipſum Deum propius accedamus. Qui aliter judicant, & celſi & erecti pollicentur ſe tot rerum obſcuras & ignoratas naturas explicaturos, fucum facere poterunt imperitis adoleſcentibus, non item ſapientibus viris, qui ſi, ut Socrates ille, non omnium, multarum tamen rerum ſe inſcios eſſe affirmant, & quaſdam ſic involutas eſſe, ut earum prorſus deſperanda ſit notitia. Prae-

clare porro vir omnium prudentiſſimus Franciſcus Baco a Verulamio ſtudioſos philoſophiae admonuit (1), *ut tantum uterentur ſcientia, quantum ad patefaciendam divinam naturam ac voluntatem ſufficeret; ut non paucis contenti eſſent, cum experientia docuerit* leves guſtus in philoſophia movere ad atheiſmum, ſed pleniores hauſtus ad religionem reducere; & *dum cauſſarum cohaerentiam & ſeriem contemplantur, meminerint, ut eſt in Poetarum mythologia*, ſummum naturalis catenae annulum pedi ſolii Jovis affigi. *Quapropter idem nos docet, ut in tractanda omnium nobiliſſima ſcientia aeque temeritatem ac timiditatem vitemus, neque amore novitatis ita nos abripi ſinamus, ut ad viſa, quaſi accepta ſenſibus, animorum aſſenſionem adjungamus. Dum Keplerus totus erat in quaerendis, more Pythagoreorum, ſuis analogiis atque harmoniis, atque in conficiendo opere, quod inſcripſit*, Myſterium Coſmographicum, *bene ac ſapienter a Tychone Braheo admo-*

(1) lib. 1. *de augment. ſcientiarum*.

Digitized by Google

nitus eſt, uti ſuſpenſis ſpeculationibus a priori deſcendentibus, animum potius ad obſervationes, quas ſimul offerebat, conſiderandas adjiceret; inque iis primo gradu facto, poſt demum ad cauſſas aſcenderet (1). *Patuerunt ejus aures hiſce monitis, quibus ſe debuiſſe grate profeſſus eſt quidquid de motibus planetarum cum maxima ſui gloria invenit. Sed non propterea prorſus analogias deſeruit, relinquens omnibus exemplum, quam periculoſum & abſurdum ſit ſequi principia & hypotheſes a ſcientiis, ut loquimur, abſtractis ſumptas, eaſque ad naturae inveſtigationem traducere. In omni autem re phyſica quaeri opus eſſet a quo, & quo modo ſit tradita, & per quas vias inventa, & videre utrum judicium magis ſit hominis, quam vox naturae, an recte & ſaepe conſulta ſit experientia, quid in ſimilibus rebus evenire ſoleat, & quid ſine praejudicata opinione, minimeque conſulta metaphyſica, ſtatui oportuerit. Haud inficiamur*

---

(1) Vid. ejus notas in editionem ſecundam *myſterii Coſmographici*.

Digitized by Google

experientiam & obſervationes ſolas non ſufficere ad detegendas cauſſas ex earum effectibus, & ad explicandos effectus per cauſſas, & tum vocanda eſt in ſubſidium ſublimior quaedam geometria, qua ſic utendum eſt, ut ipſa non dominetur, ſed potius pareat ac ſerviat phyſicae. Duplex in genus dividi ſolet geometria, in analyticam videlicet & ſyntheticam, & utraque plurimum prodeſſe poterit rerum naturalium inveſtigatori. Illam adhibebit quando ex phaenomenis aut effectibus vires & cauſſas, quae ſunt in natura, quaeſierit, hanc quando detectis cauſſis, id eſt rerum principiis, quae conſequuntur ex iis phaenomena oſtendere voluerit. Sed tum in phyſica, tum in matheſi, niſi initium duxerimus ab analyſi, id eſt a principiis, quae revera ſint in natura, periculum erit, ne poſtquam magno labore fundamenta alicujus ſyſtematis jeciſſe nobis videamur, non philoſophorum judicia, ſed delirantium ſomnia extuliſſe judicemur. Vir prope divinus Newtonus, unde ceteri exemplum recte philoſophandi petere debent, poſtquam analytice demonſtravit eſſe generale principium gravitatis, totius mundi ſyſtema expli-

care, & hoc quaſi gradu quodam jacto, in caelum uſque aſcendere potuit. Idem per analyſim detectis novis & admirabilibus proprietatibus lucis, ſyntheſi utens, rationem reddidit plurium phaenomenorum, quorum cauſſas ceteri fruſtra quaeſierant. Sed dum hac incedens via multa vera antea ignorata aperiebat, alia pro ſuo ſummo acumine veluti per tranſennam adſpexit, quae non adeo certa habuit, neque haec cum illis confundenda putavit, & modeſte iis Quaeſtionum *nomen impoſuit, materiam poſteris praebens ad dogmata ſua vel amplificanda, vel confirmanda, minime vero refutanda. Sciebat enim ubi conſiſtendum eſſet, quoties experientiae lumen deerat, ſeque ipſam patefacere natura recuſabat. Idem quam modeſte dubitanterque, ut amicorum poſtulationibus ſatisfaceret, conjecturas ſuas propoſuit de gravitatis cauſſa, & quidquid de ea dixit, ut & de ceteris potentiis, (danda nobis venia eſt, ut phyſicorum more loquamur) quae vires ſuas exercent in parvas materiae partes, declarant quam eſſet & acutus & cautus, quam gnarus & obſcuritatis rerum & infirmitatis in judiciis, & quam prudens in ſuis*

Digitized by Google

pronuntiandis, de quibus ſane quidquid detrahas, neceſſe eſt aut inſcitiae, aut invidiae aſſignetur. Ceteri, qui his naturae & doctrinae praeſidiis minime parati ad philoſophiam acceſſere, quantumvis elaboraverint, plura eidem detrimenta, quam adjumenta importaſſe videntur. Dicturus de Claudio Fromondio apud nos phyſicae doctoris viro ſane acutiſſimi ingenii, nec mediocris doctrinae, ſed quem quaſi aeſtus quidam ingenii quandoque abripuit a recta philoſophandi via, haec non inopportune attigiſſe judicabor. Et quoniam de impudentia dixi, caſtigemus etiam ſegnitiem hominum atque inertiam. Nam tanta eſt utilitatis magnitudo, tanta oblectatio in inquirendis rebus phyſicis, ut mirer multos ad ſuſcipiendum diſcendi laborem non impelli. Quas vero tibi gratias agere non debent omnes homines, quod lucem ingenii & conſilii tui civibus tuis porrexeris ad mathematica & phyſica ſtudia excolenda, & Academiam inſtitueris, ut ex iis rebus, quas horum ſtudiorum cultores eximii, quibus Italia gloriatur, invenerunt, Acta conficiantur, quorum jam quatuor extant volumina, docta ſane & laborioſa?

Fremant multi licet, dicam quod ſentio: bibliothecas mehercle multorum philoſophorum unum hoc opus & rerum pondere & utilitatis ubertate ſuperare. Ac ſi nos Italos, id quod maxime debet, noſtrae Provinciae amor delectat, quo ſtudio inflammati eſſe debemus, ut quae quondam fuit magiſtra ceterarum in omni arte praeclara ac diſciplina, nunc minime veluti eſſoetam hebeſcere & languere in otio, at cum cultioribus copia & praeſtantia inventorum poſſe contendere judicetur? Vale.

Piſis Kalendis Maii MDCCLXXXVIIII.

Digitized by Google

Claudius Fromondius.

FRomondiorum familia, quae ex Burgundia ſuperiori ſaeculo Cremonam habitatum venit, honeſtiſſima eſt, ex eaque ortum habuit Claudius prid. Non. Feb. an. MDCCIII. cum illi pater fuiſſet Joannes Claudius, mater Lucia Bindia, quae nobili genere nata erat. Hi quidem curarunt, ut vel a prima aetate bonis ille artibus & diſciplinis inſtitueretur, quod in eo elucere ingenium videbant. Sed quae ipſe didicit tum in patria, tum Ravennae in monaſterio Camaldulenſium (horum enim familiae imitatus exemplum Jo. Franciſci fratris nomen dedit vere an. MDCCXVIII) neque acuere, neque alere eximium ingenium poterant. Itaque ardebat deſiderio inveniendi praeceptores, qui ſibi rectam ſtudiorum monſtrarent viam, & quod deerrantibus minime obtemperaret, aut in eorum monitis minime acquieſceret, caſtigationis ergo miſſus eſt ad monaſterium, quod Fontis Avellanae dicitur, in quo deſertiſſima eſt ſolitudo. Triennium

nium ibi fuit, & beatus in hoc Eremo fuiſſe videtur, quod abundans otio ad cognitionem rerum naturalium comprehendendam (ſunt enim in eo loco multa praeclara ad adſpectum) mirifice incenſus fuit. Inde autumno an. MDCCXXVII. rediit ad Ravennates, cum regeret monaſterium, ut vocant, Claſſis Petrus Canetus Cremonenſis, quo ſane nemo erat & prudentior & doctior. Huic facile fuit divinare qui quantusque vir futurus eſſet Fromondius, quapropter ipſum tradidit in diſciplinam Guidoni Grandio, qui tum Piſis mathematicas diſciplinas docebat. Quantum in his proceſſerit ex eo conjici poteſt, quod Grandius ipſe eo tempore, quo ab Academia Piſana abeſſe cogebatur ob impoſitum illi munus Camaldulenſium familiae, ut loquuntur, Viſitatoris, Fromondio curam commiſit inſtruendi diſcipulos ſuos. Quo privato, & publico etiam univerſae Academiae teſtimonio moti ii, qui Franciſci Lotharingii nomine Etruriam gubernabant, anno MDCCXXXVIII. munus illi docendi logicam aſſignarunt. Tum cum animo & corpore languere coepiſſet Grandius, ſe illi deſtinatum iri ſucceſſorem ſperabat Fromondius,

ſed brevi illius ſpes evanuerunt, cum non Grandii modo ſententia, ſed omnium voce unus Thomas Perellius, cujus vitam Italice declaravimus (1), dignus praedicaretur, qui tanto viro ſuccedere poſſet. Ex quo factum eſt, ut ejus in Grandium amicitia non minuta modo, ſed prorſus diſſuta eſſe videretur. Septennium ferme rexit logices ſcholam, & omnium utiliſſima ſcientia, quae ſolum & fundamentum eſt ceterarum, ipſo docente, ſuis praeſidiis erat ornata; deinde ineunte an. MDCCXXXXV. juſſus eſt explicare philoſophiam naturalem, quod ſe facere poſſe putavit ſolis logices, minime vero, quod ſane miraberis, geometriae ſubſidiis. Ut rationem vero redderet ſui inſtituti, emiſit an. MDCCXXXXVIII. opus, quod inſcripſit: *Nova & generalis introductio ad Philoſophiam*, glorians ſe novitate non magis, quam magnitudine rerum ad exquirendas cauſſas excitatum fuiſſe. Hinc poſtquam de ***Relationibus*** (cognitiones enim omnes in *ralationibus* poſitas

(1) *Extat illa in volumine 1.* degli Elogj d' illuſtri Italiani.

Digitized by Google

eſſe ajebat) in priori parte operis egit, in altera de natura propria animae atque vi, de materia, de naturalibus effectibus, de tempore & de ſpatio Leibnitium confutans pluribus diſſeruit, & dum vim cogitandi perpendit, quam Logici perceptionem ſimplicem dicunt, & a judicio diſtinguunt, verum eſſe judicium affirmat; dum vero ſuis ponderibus examinat propoſitionum naturam, non tres, ſed ſeptem illas eſſe contendit, quas ſic enumerat & explicat, ut omnem cogitationem motumque animi, qui in vero exquirendo maxime verſatur, aperire ſe poſſe putet. Multorum ingenia contra illius diſciplinam exarſere, & hac etiam de cauſſa ipſe in ſummam invidiam adductus fuit, quod ad convincendas fallacias geometrarum, qui ſuis demonſtrationibus nimium confidentes ratiocinandi regulas, ut exiles nimium, & propemodum importunas ac moleſtas contemnere videntur, ad examen revocat celebre illud Polenii experimentum, quo eſſe in natura vires, ut vocant, vivas nimium confidenter probare ſe poſſe putavit, nec non effatum illud Grandii, qui de motu aquarum agens, ait *momenta, ſive vires motrices fluentium aquarum*

eſſe in ratione compoſita ex ratione ſectionum & duplicata ratione celeritatum. Sed quid alii judicarent de ſuis ſcriptis non laborabat Fromondius, & fortis & conſtans in ſua philoſophandi ratione non paucos ſane apud nos abduxit a vera philoſophia, quae novitates reſpuit, niſi ſuaſerint experientia & geometria, id eſt recta ratio, per quam conſequentia cernimus, principia & cauſſas rerum videmus, earumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignoramus, ſimilitudines comparamus, incognita a cognitis ſecernimus, omninoque cavemus, ne a falſis verique ſpeciem habentibus decipiamur. Quod non eo dico, ut multum de Fromondii laudibus detractum velim; vir ſane erat acutus & perſpicax, & quando cohibebat aſſenſum ab hypotheſibus & viſis quibusdam ſuis, et experientiam conſulebat, poterat ad phyſicorum principum laudem adſpirare. Id praeſertim intelligi poterit ex illius opere Italico *de oleis, quae devehuntur ex locis peſtilentia infectis*, quo nullum majus confecit, quodque unum ad immortalitatem nominis obtinendam illi ſufficere potuiſſet. Cauſſa illius ſcribendi haec fuit. Contendebat doctus vir Jo. Genti-

lius, qui Liburni Medicinam exercebat, oleum e Calabria, in qua peſtilentia erat, Londinum advectum, ſi combureretur, minime pernicioſum fore, cui ſuae ſententiae ut adjungeretur auctoritas & confirmatio magiſtrorum Piſanorum, vehementer poſtulaverat. Cum de hac re ſcriberet Fromondius ad Gottium, illa attigit, quae dubitationem ſibi afferebant, quae ſic male accepit Gentilius, ut ſeptem fere poſt menſes, edita *Philoſophica epiſtola* (ſic enim illam inſcripſit) non ſolum illa refellere, ſed & detrahere aliquid de fama Fromondii, utens perpetua ironia, ſtuduerit. Id ut ille reſcivit, excanduit, & cauſſam inimicitiarum quaerere Gentilium clamitavit. Igitur ſine mora ſuam defenſionem ſuſcepit, & quod oblatam ſibi facultatem putabat proferendi in medium phyſica multa, quae diuturna commentatione ac meditatione ſibi paraverat, non ſolum cenſor, ſed etiam magiſter ſui adverſarii eſſe voluit. Edidit itaque an. MDCCXXXXV. ſuam Apologeticam reſponſionem, in qua multa ſemina reconditioris phyſicae doctrinae ſparſit, ut dignum aliquid & ſuis viribus, & expectatione hominum (omnes enim multum illius ingenio tri-

buebant) ſe effeciſſe judicaretur. Prorſus nova protulit de putreſcentibus corporibus, & de inflammatione, quam ipsa ſubeunt; docuit quam facile oleoſa & fluida corpora concipere peſtilentiam poſſint, & quid interſit inter peſtifera & venenata; de fluiditate, quam in propriam & impropriam diſtinguit, copioſe diſſerit, eamque pendere putat a mutuo aequilibrio duarum contrariarum virium, elaſticitatis ſcilicet & attractionis, ſic ut ubi ſit major elaſticitas ſpumeſcant corpora, ubi major attractio coagmententur et coaleſcant; quo poſito, rationem reddit quare oleum dum frigeſcit in adeps, atque adeps dum caleſcit in oleum atque vapores tranſeat. Poſtquam de proprietatibus fluidorum corporum, & de naturalibus horum effectibus diſputavit, quaerit cauſſam pluviarum, & illam repetit a vi propria aeris ſolvendi vapores, ſibique admiſcendi, ſic ut idem evenire dicat, quod fieri videmus in praecipitationibus, ut loquuntur, chemicis. Haec, ut & illa, quae de fulminibus, & tonitribus tradidit, magnopere extulerunt illi, quibus incognitum erat, quid in hujuſmodi phaenomenis electricitas poſſit; ac ſane miror in magna, in qua

nunc verſamur luce rerum electricarum, ſupereſſe adhuc inter nos quosdam, qui renovare Fromondianam doctrinam adlaborant. Eximia putantur illa, quae de inflammatione corporum idem docuit, quaeque confirmaſſe videntur a ſummo phyſico Prieſtleio recentiſſime obſervata, omninoque quae de proprietatibus oleorum aliorumque fluidorum corporum, de aere tum puro, tum imbuto exhalationibus, tum condenſato acidis, tum inflammato a putreſcentibus corporibus dixit, & merito & jure commoverunt ſtudia phyſicorum ad illa vel comprobanda, vel infirmanda. Etenim non in omnibus quod verum eſſet videre potuit, & cum hoc ipſum verum in occulto latebat, ſi quidquam inveniſſet, quod ſibi ſimillimum veri videretur, firme tenebat & pugnaciter defendebat. Reſpondit ad ea, quae quaeſita erant Gentilius, tumque adhibita ab illo fuit certa ratio moderatioque dicendi. Tota autem haec diſputatio non ſolum oblectationem attulit otioſis, ſed etiam emolumentum doctis hominibus, quod uberes ſcientiae phyſicae fontes contineret; ne illa vero diutius duraret, factum eſt nonnullorum prudentia, ad quorum

conſilia docilem adeo ſe praebuit Fromondius, ut idem & fortis & acer, & mitis & lenis eſſe judicaretur (1). Dum expoſuit Jo. Lamius ſuis in ephemeridibus Florentinis quae

---

(1) *Quae Fromondius ipſe ad Gentilium ſcripſit ſatis ejus animum mitem & docilem declarant. Sunt autem hujuſmodi.* La dichiarazione che V. S. Ecc. nell' ultimo ſuo libro ha fatto di non voler più diſtraerſi dalle ſue occupazioni, mi ha fatto concepire una ferma ſperanza, che ella ſia per accordarſi meco ad una reciproca da me bramata reconciliazione, la quale ci permetta quella tranquillità d' animo tanto neceſſaria a chi ſtudia. Di buon grado gliene porgo l' invito, poichè quanto mi commoſſe la ſua lettera Filoſofica, perchè da me inaspettata, altrettanto imperturbabile ſono rimaſto al vederne l' erudite ſue dimoſtrazioni, che ſuſſeguentemente vi ha fatte, perchè già io le ſtavo aſpettando. Il troppo riſentito contegno da me involontariamente moſtrato nella mia Riſpoſta apologetica, e da me non conoſciuto, ſe non dopo eſſerſi nell' animo mio calmata la paſſione, mi ha pienamente perſuaſo, che le conteſe letterarie non ſono per tutti i temperamenti; quantunque

continebantur in Fromondii opere, minime dubitare viſus eſt, an quaedam ex iis eſſent, quae ad veritatem propius non accederent. Equidem (bona venia tanti viri dixerim) abſum ab hac ſententia. Quanquam enim Fromondius multa acutiſſime viderit, ut fortaſſe minime Gentilium ipſum poenituerit ad hujusmodi tractationes eumdem impuliſſe, quaedam tamen protulit, quae aut vetuſtate

ſe uno de' noſtri comuni amici foſſe ſtato più coraggioſo nell' intrometterſi da principio per togliere alcuni equivoci e riſchiarare alcune falſe ſuppoſizioni, o relazioni, come da me ne fu pregato, la noſtra conteſa ſarebbe ſtata certamente poſta in iſtato di non produrre alcuna amarezza. Ma giacchè preſentemente ogn' uno di noi ha eſpoſte le proprie ragioni al pubblico, io che debbo eſſer molto tenuto alla ſtima, che le è piaciuto di proteſtarmi nella eſpoſizione delle ſue, invito V. S. Ec. a voler dar al pubblico medeſimo un ſegno di vicendevole reconciliazione, accettando la mia ſervitù ed amicizia, che le eſibiſco.

Piſa 16. Gen. 1746.

conſenuiſſe, aut novis experimentis inventiſque ſublata fuiſſe, aut latere adhuc obſcuritate involuta naturae videntur. Quae obſcuritas profecto tanta eſt, ut liceat phyſico impune fateri, multa ſe ignorare, & de quibuſdam etiam deſperandam notitiam. Sane miraberis hominem, qui ſine ullo geometriae ſubſidio ſatisfieri phyſicae poſſe putabat, vel antequam cum Gentilio diſputaret, ſuſcepiſſe defenſionem Newtoni adverſus Jeſuitam Caſtellium, qui ut magnis clareſceret odiis, ejus de coloribus dogmata, quae ipſa luce ſunt clariora, convellere conatus eſt. Patefecit illius fallacias Fromondius una atque altera epiſtola, quas retulit Lamius in ephemerides Litteratorum Florentinas an. MDCCXXXXI. ex iiſque apparet ſcientiam & copiam rerum opticarum ab ipſo fuiſſe comprehenſam. Verum non ſic laudaverim, quae de corporum fluiditate libello quodam edito an. MDCCLIV. complexus eſt. Nil affert quod infirmet, quemadmodum ſibi propoſitum eſſe dicit, receptas jam de illa ſententias; dum rationem reddere vult, quare fluida corpora aequaliter in omnes partes pro illorum altitudine vires ſuas

exerceant, rem non ſatis cognitam explicationibus ſuis obſcuriorem facit, & ſomnia venditare mihi videtur dum affirmat in corporibus ſolidis ſuperiores partes minime gravare inferiores, illorumque gravitatem pendere unice ab illorum ſoliditate, tanquam ab inſtrumento & vinculo, quo ſubjecta baſis pro quantitate materiae, quae eſt in iiſdem corporibus, premitur. Diverſa fluidorum genera eſſe ſtatuit, affirmatque, quod ſi illorum elementa, ut docebat Newtonus, dura eſſent, illa minime vim ſe ſe in omnes partes flectendi habitura. Leve eſſe argumentum ait, quod ex glacie eruitur ad confirmandam aquae elementorum duritiem: aquam enim glaciari contendit non privatione caloris, ſed adhaeſione ſubtilis materiae, quam auram frigoriferam appellat. Quae ipſe prima in univerſo opere putavit, quibuſque nihil evidentius eſſe facile ſibi perſuadebat, infra exſcribere minime pigebit (1). Non fluidorum modo, ſed & ſoli-

(1) I. Che nel corpo ſolido la continuata durezza ſua ſerve d' interno, e come inſtrumentale vincolo

dorum corporum receptam mechanicam ſe ſe funditus everſurum palam gloriabatur, & non

alla gravità del medeſimo per aggravare la ſottopoſta contigua baſe in ragione della quantità di materia, che nello ſteſſo corpo ſi contiene.

II. Che nel medeſimo corpo ſolido la ſteſſa continuata durezza ſua ſerve altresì d'interno, e naturale ſoſtegno a tutte quelle parti, che nella continuata eſtenſione del medeſimo ſi poſſono concepire; onde niuna delle inferiori incluſivamente alle infime, e contigue alla ſottopoſta baſe, ſoffre alcuna preſſione dalle ſue reſpettivamente ſuperiori.

III. Che in un confuſo aggregato di corpicciuoli la diſcreta durezza ſerve alla gravità loro d'impedimento, pel quale non può mai aggravare la ſottopoſta baſe in ragione della quantità di materia, che nell' aggregato medeſimo è compresa.

IV. Che il Fluido è un corpo tutto continuato fleſſibiliſſimo, ed elaſtico.

V. Che il peſo de' corpi, quando la gravità loro ſia libera da ogni vincolo di durezza, procede in ragione dell' altezza, e non mai della quantità di materia.

ſolum incognita, ſed prorſus falſa approbare illos philoſophos ajebat, qui eſſe in natura motum ut loquuntur, compoſitum, eſſe celeritatem in aequilibrio, & hoc non pendere a reciproca proportione maſſarum in celeritates affirmabant. Is uno atque altero opuſculo de his rebus diſſeruit, & quae attulit, ut rationem redderet, quare aliquid eveniat in actionibus variis corporis, ſatis redarguunt ejus mechanicarum rerum inſcitiam. Toto caelo enim diſtat argumentatio illius ab ipſa re & veritate. Magni ingenii, magnaeque doctrinae homo ſi inſitas quaſdam in animo opiniones evellere, & reprimere novitatis ſtudium potuiſſet, plurima ſane adjumenta hominum vitae, ipſiſque phyſicis diſciplinis attuliſſet.

VI. Che nel Fluido l'elaſtica fleſſibilità ſua ſerve alla gravità del medeſimo, come d'interno, e naturale inſtrumento, per mezzo del quale la preſſione procedente dalla gravità medeſima ſi multiplica per ogni verſo in ragione dell'altezza dello ſteſſo Fluido ſovrappoſto ad eguali ſuperficie: con che rimane totalmente ſviluppato il grande arcano della preſſione dei Fluidi.

Digitized by Google

Tantum illius acumini tribuebant medici ipſi, ut ſaepe ab ipſo conſilia exquiſierint, & illae aſphyxiarum curationes, ut unam rem exempli cauſſa ponamus, a Fromondio primum apud nos excogitatae fuerunt. Hujus rei teſtes habemus Jo. Targionium & Dominicum Barſantium, quibus medicis et amicis utebatur. Ejus quoque auctoritas praeclare inſertionem variolarum commendavit, et cum facile exponeret in familiaribus ſermonibus, quae de phyſicis, medicis, chemicis, botanicis aliiſque naturalibus rebus aut commentatus ſecum eſſet, aut ab experientia didiciſſet, nonnulli ſic iis uti poſſe putabant, ut per ea in opinionem doctorum hominum irreperent. Erant & inter collegas illius, qui eripere ipſi conarentur falſas opiniones, quae cum ſomniis cognationem habebant, ſed vel quia noſter nos delectare ſolet error, vel quia facile judicamus invideri gloriae ac laudi noſtrae, raro aliorum monitis dociles aures praebebat. Eodem tempore, quo Fromondius, phyſicam quoque Piſis docebat Carolus Taglinius Clanni (1) quod eſt

(1) *Natus is eſt an.* MDCLXXIX. *Poſtquam Florentiae praeparaverat animum ad doctrinas mathema-*

oppidulum Volaterranae Dioeceſis, natus, homo atque natura et doctrinae genere ab illo

---

ticas & phyſicas concipiendas, Piſas in diſciplinam Grandii venit, & non parum ſub tanto praeceptore ſe profeciſſe declaravit, geometrico quodam edito libello, qui illi aditum patefecit ad Academiam Piſanam. Cooptatus eſt enim in illam an. MDCCIV. *Theſes, quas diſcipulis ſuis, dum phyſicae erat doctor, defendendas propoſuit, magnam illi famam pepererunt non ſolum apud Italos, ſed etiam apud Britannos & Gallos, a quibus in illorum Academias, quibus ſcientiarum & artium incrementum propoſitum eſt, relatus fuit. Pertinebant enim ad res, quae in phyſica primae eſſe putantur, ad ſonum, ad ventorum naturam, ad ortus, obitus, motus converſioneſque planetarum, ad barometra, thermometra, hygrometra, & id generis alia. De conſtructione thermometrorum diſſenſit ab eo Reamurius. Poſtremo de aere, ejuſque natura & effectibus diſſeru t, quo in opere collegit quidquid ad illa uſque tempora diligentiores phyſici de aere aut excogitaverant, aut invenerant. Tum quoque laudata fuerunt quae de Borealibus Auroris aliiſque phyſicis quaeſtionibus ſeparatim edidit. Sed quia parum proceſ-*

ſane disjunctiſſimus. Hic modeſtus et prudens nil ſibi tribuebat, et cum totam contriviſſet vitam in diſcendis iis, quae Galileus, Torricellius, Academici Florentini, et illuſtriores tum Britanni, tum Galli philoſophi tradiderant, haec ſic exponebat diſcipulis ſuis, ut alienarum ſententiarum collector et illuſtrator, et cum res poſceret, moderator eſſe videretur; ille confidentiae (quin dicam audaciae?) plenus non niſi nova, et inaudita, et prorſus mirabilia, quae ceterorum dogmata convellerent, ſe allaturum profitebatur; hic ad ſcholam veniebat, quaſi ex pauperrimo dives factus fuiſſet alienis copiis a ſe diuturno ſtudio, ac ſummo labore conquiſitis, et ſi quid ex ſe promebat, verecunde et plerumque dubitan-

---

ſerat in Newtoniana phyſica, cum ei de gravitate corporum eſſet agendum, incurrit in maximas difficultates, quibus ſe expedire haud facile potuit. In patria vitam ſinivit an. MDCCXLVII. XIV. *kal. Octobris, cum vixiſſet annos* LXVIII. M. VI. D. *autem* IIII. *Sepulcri monumento donatus eſt, in quo Jo. Lamius elogium ſcripſit.*

Digitized by Google

bitanter dicebat, ille, cui propria ſententia pluris erat, quam ceterorum judicium, non ſolum quae obſervaverat, ſed etiam quae ſomniaverat ſic efferebat, quaſi infixa eſſent in natura, comprehendique ab omnibus facile poſſent, dum ſenſibus & ratione uterentur; hic denique nihil affirmabat, niſi quod aut doctorum virorum, aut multarum obſervationum conſenſu liqueret, aut vero ſimillimum eſſet, ille quod ex ſui ſane praeſtantis ingenii viribus, & ex ſuis metaphyſicis hypotheſibus derivaſſet. Nihilo tamen minus Fromondium ad magna, Taglinium ad mediocria natum dixiſſes, eumque aluiſſe ingenium mirabilibus viſis, hunc quaerendo verum, et diligentia etiam ex tarditate incitaſſe. Plures aliae erant in his viris diſſimilitudines naturae morumque. Summa enim humanitas ſuaviſſimique mores Taglinium commendebant; contra ea Fromondius vel leviſſima de cauſſa concitabatur ira, & ſuſpicioſus adeo erat, ut facile ab iis, cum quibus vivebat, violatum aliquid eſſe exiſtimaret. Sed haec vitia magnis compenſata fuere virtutibus. Fuit enim juſtus, integer & religioſus, interdum etiam, quod

Digitized by Google

ane miraberis in homine, ut diximus, iracundo & melancholico perferens injuriarum (nam acerbiſſima vel a ſuis monachis perpeti debuit) in amicos liberalis, diſcipulorum ſuorum mirifice ſtudioſus, firmus, ſtabilis atque conſtans amicus, ingenuus ſupra quam credibile eſt, gravis ſine ſeveritate, & ſine demiſſione comis atque affabilis, ex quibus laudem & caritatem multorum, quae ſunt vitae ſine metu & cum jucunditate degendae praeſidia firmiſſima, conſecutus eſt. Obiit Piſis, cum ageret annum LXII. in ejuſque ſepulcro, quod eſt in S. Michaelis Aede, haec illius amicus Leopoldus Guadagnius inſcripſit.

JOANNI . CLAVDIO . FROMONDIO
CREMONENSI
IN . CAMALD. ORDINEM . COOPTATO
MATHEMATICO . GRANDII . DISCIPVLO
EXIMIO . PHILOSOPHO
QVI . IN . PIS. LYCEO . LOGICAM . ANNOS. VI.
DEINDE . ANNOS . XX. PHYSICAM
PROFESSVS . EST
VIRES . NATVRAE . INGENIO . ACRI . ET
SOLLERTI
DIVTVRNIS . OBSERVATIONIBVS
FELICITER . EXPLORAVIT
EDITISQVE . LIBRIS . IN LVCEM . PROTVLIT
VERITATIS . AMORE . HONESTATE . VITAE
CONSPICVVS
AMICITIAS . EGREGIE . COLVIT
SVMMA . FIDE . BENEFICENTIA . CONSTANTIA
VIRO . GRAVI . CORDATOQVE
MONVMENTVM . POSITVM
VIXIT . ANNOS LXII. MENSES. II.
OBIIT . ANNO . R. S. CIↃ . IↃ . CC. LXV.

OPERA EDITA.

Due lettere ſopra l'ottica del P. Caſtel. *Extant in ephemeridibus Litteratorum, quas Jo. Lamius edebat, an. 1741. col. 436. 610. 629.*

Lettera al Signore Orazio .... S. in cui ſi eſamina il taglio della macchia di Viareggio. Piſa 1739. per Gio. Domenico Carotti. *Probare nititur fore inſalubre, ſi illa caederetur ſylva.*

Riſpoſta Apologetica ad una lettera filoſofica ſopra il commercio degli olj navigati procedenti da luoghi appeſtati &c. con l'eſpoſizione e l'eſame di eſſa arricchito di fiſiche oſſervazioni del P. D. Claudio Fromond Pub. Profeſſore di Filoſofia nella Univerſità di Piſa. Lucca 1745. Per Filippo Maria Benedini.

Lettera di reconciliazione del P. D. Claudio Fromond &c. e del Sig. Dot. Gentili Medico della Sanità di Livorno. Firenze 1746.

Nova & generalis introductio ad Philoſophiam, auctore Claudio Fromond in Piſano Lyceo Philoſophiae Profeſſore: Venetiis 1748. typis Joſephi Bertella.

Della Fluidità de' corpi, trattato del P. D. Claudio Fromond &c. Livorno 1754. Per Antonio Santini e Compagni.

Examen in praecipua mechanicae principia, Auctore D. Claudio Fromond Cremonenſi, Monacho Ca-

maldulensi, in Piſano Lyceo Pub. Phyſicae Profeſſore, Regiae Scientiarum Academiae Pariſienſ. Socio Correſpondente, Errantium Firmi, & Phyſico-Botan. Florent. Sodali. Piſis an. 1758. ex typographia Archiepiſcop. apud Joannem Dominicum Carotti.

De ratione philoſophica, qua inſtrumenta mechanica generatim conferunt potentiarum actionibus corroborandis, vel enervandis, Auctore Claudio Fromond Cremonenſi Monacho Camald. in Piſano Lyceo Pub. phyſicae Prof. Regiae Scient. Academiae Pariſienſis Socio Correſpondente &c. Piſis an. 1759. apud Carotti. *Maxime, & merito quidem, gloriari videbatur Fromondius, quod a Pariſienſi Scientiarum Academia habuerit illuſtre doctrinae ſuae teſtimonium, cum an. 1757. ab ea cooptatus fuiſſet in numerum eorum, qui Socii* Correſpondentes *dicuntur. Ex omnibus enim praemiis laborum, ampliſſimum eſt praemium gloria, quae eſt incorrupta vox bene judicantium de excellente aut virtute, aut doctrina.*

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

JULIO MOZZIO
EQUITI ET SENATORI, ET ACADEMIAE
FLORENTINAE PRAESIDI S. P. D.

NEmo profecto dubitabit, quin in tanta varietate animalium natura homini, ut ſoli, ingeneraverit cupiditatem cognitionis & ſcientiae, eique ſuppeditaverit inſtrumenta ad verum inveniendum, & ad obtinendam ſapientiam. Sed quia objiciuntur ſaepe oculis formae veri, quae reapſe nullae ſunt, ſpeciem autem offerunt, eaſque inconſiderate amplectimur ac fovemus, inde maxime fit, ut optima naturae ſemina hebeſcant, ac paullatim obliterentur. Inducimur etiam in errorem opinionibus vulgi, & ſententiis eorum, quos ſapientiſſimos judicamus, atque adeo opinio praejudicata poteſt, ut etiam ſine ratione apud multos valeat auctoritas. His adde pravas conſuetudines, quibus facile aſſueſcimus mendaciis, & ſtudia erga populares, ſic ut pro varietate regionum variae eſſe ſoleant ſententiae & dogmata philo-

ſophorum. Germanum interroga, iſque ſolitus jurare in omnia Leibnitii verba, pro certo tibi affirmabit prorſus ſimilia naturam reſpuere; quod audiens Britannus riſu excipiet, quia ſimilitudinem partium multam vim habere ad componenda conjungendaque corpora docuit Newtonus ſuus. Illi nihil videtur abſurdius materie, quae minime conſtet ex indiviſibilibus & inextenſis, ut dicitur, elementis, & monades ſuas idcirco extollit; hic ſomnium putat ab inextenſo extenſum effici, & materiae omnes proprietates communes eſſe affirmat illis initiis atque elementis, ex quibus ipſa componitur. Sic attractionis vim Newtoniani omnes in Anglia naturae admodum conſentaneam praedicant, contra reſpuunt Carteſiani in Gallia ſuis addicti vorticibus, quos ubique, in caelo, in magnete, in exiguis elaſticorum corporum particulis videntur ſibi intueri oculis ipſis, & propemodum manibus contrectare. Quid? Nonne mirum videri debet in ea, in qua nunc verſamur luce de electricis rebus poſt Franklinii, Becariae aliorumque inventa, tot experimentis confirmata, a Gallis adhuc

mentionem fieri materiae affluentis & effluentis, quod illius ſe acerrimum defenſorem Nolletius praeſtiterit? Omnino tantum mores, judicia, affectus, ſtudia, exempla atque uſus poſſunt, ut non modo rerum, quae extra nos ſunt, ſed etiam earum, quas inſitas & quaſi conſignatas in animis habemus, notitias obſcurare poſſint. Hinc de juſto atque injuſto, de officiis, de omnibus vivendi praeceptis, de civilibus inſtitutionibus differunt interdum adeo inter ſe hominum ſententiae, ut ex hac diſcrepantia concludi poſſit, multos verſari in ſummo errore, & in maximarum rerum ignoratione. Sunt porro artes quaedam, quae rationes dant certas & praecepta veri inveniendi, quae habent ordinem, & quaſdam errare in faciendo non patientes vias, ſed eae plerumque deſeruntur, quod exigunt ſummum laborem, & illam difficillimam conjunctionem acuti ac perſpicaciſſimi ingenii cum bene conſiderata, lenta, patienti atque conſtanti ratione unam eamdemque rem omneſque ejus partes diu perſequendi. Qui ſibi nimium tribuunt praeſertim in phyſicis rebus, & de

Digitized by Google

ſua vi ac ſapientia pene omnia profitentur, meminerint nihil magis officere veritati aſſequendae quam audaciam, confidentiam atque petulantiam, & in exquirendis rerum naturalium cauſſis idem ſaepe evenire quod dormientibus, quibus ſe ſe offerunt varia viſa, quae pro certis habent, quanquam a vero longiſſime abſint. Recordari debes (eramus enim ſaepe una cum illo) quam pugnaciter Boſcovichius noſter theoriam ſuam de naturali philoſophia defenderet, quam ab ipſa natura ſe didiciſſe, & nihil in phyſica melius unquam inventum fuiſſe affirmabat. Iraſcebatur ſi quis aliquid illi objiceret, & fore tempus (ſi ſuperis placebit) praedicebat, quo philoſophi omnes tandem veritatis vi convicti ſuam in ſententiam deſcenderent. Jam gaudebat Jeſuitarum omnes ſcholas perſonare his vocibus, unicam eſſe in natura virium legem, quae in magnis diſtantiis attractivae ſint, in minimis modo attractivae, modo repulſivae; ſic ut quo magis corpora & corporum elementa ad ſe ſe invicem accedant, vis repulſiva augeatur, & vel in infinitum uſque augeri poſſit; plures Litte-

ratorum hominum ephemerides plauſiſſe huic ſuo invento; & extitiſſe hominem Gallum Saurium doctrina phyſica & mathematica clarum, qui illius fecit explanationem illuſtrem, retulitque in poſtremum volumen operis, quod matheſis elementa *inſcripſit. Quanquam magni ingenii lumen in illa theoria eluceat, ſic ut oppugnari, ut & demonſtrari non facile illa poſſit, eumdem tamen locum apud ſapientiores tenebit attractio Newtoniana, &, quas de ea vir prope divinus propoſuit, leges, quaſque diligentiſſimi atque acutiſſimi phyſici mirum in modum confirmarunt. Sed ita ſumus natura comparati, ut noſtris cogitationibus perinde aſſentiamur, ac ſi intueremur id, quod nobis in mentem venit, quapropter vere a Cicerone dictum videtur, nihil tam abſurdum excogitari poſſe, quod non affirmetur ab aliquo philoſophorum. Nihilo tamen minus fuit Boſcovichius vir doctrina ſumma, et animi & ingenii in eo celerrimi erant motus, & ad excogitandum acuti, & ad explicandum ornandumque uberes, & ad memoriam firmi atque diuturni, quibus praeſidiis, & prae-*

conio ſuorum adeo famae, cujus cupidiſſimus erat, vel ab ineunte adoleſcentia ſervivit, ut in maxima celebritate atque in oculis omnium vixerit. Quanquam ex mea celebratione nihil illius gloriae addi poſſe videatur, de ipſo tamen ſemel iterumque ſcribendum putavi, Italice quidem, ut ſatisfacerem voluntati Praeſidis Societatis, ut vocant, Italicae, Latine, ne deeſſem inſtituto meo exponendi in hoc opere vitas excellentium virorum, qui noſtra, patrum majorumque memoria floruerunt. Qui utrumque ſcriptum contulerit, facile judicabit, me non actum egiſſe, quod vetamur veteri proverbio; ſi vero tu ita ſenſeris, me non fruſtra operam conſumpſiſſe, gaudebo, vel potius gloriabor judicio tuo. Ita enim excellis & maximarum rerum doctrina, & ſcribendi elegantia, ut elegantium Etruſcorum non dubitem te praedicare doctiſſimum, & doctorum elegantiſſimum. Vale; & quod filio nuperrime auctus ſis, tibi ex animo gratulor, & Deum precor, ut illum diu ſoſpitem ſervet, quo aemulus & imitator paternorum ſtudiorum eſſe poſſit.

Piſis Non. Sext. MDCCLXXXVIII.

ROGERIUS JOSEPHUS BOSCOVICHIUS

Homini Raguſino in pinacotheca Italorum locum iterum (1) dare minime dubitamus, quod is in urbe Italarum principe altus educatuſque eſt, quodque ex ea praeſertim fructus percepit ampliſſimae gloriae, qua immortalitati eſt commendatus. Is eſt Rogerius Joſephus Boſcovichius, cujus magnum eſt nomen in noſtrae aetatis mathematicis, & quo amico & praeceptore vel a prima adoleſcentia gloriati ſumus. Natus ille eſt XV. Kal. Jun. an. MDCCXI. patre Nicolao, homine tum copiis, tum liberis abundante (ſex enim ex Paulla Beterra ſuſceperat maſculini ſexus, quorum natu minimus erat Rogerius, tres feminini) qui Raguſam conceſſit ex vicinis regionibus Turcarum ditioni ſubjectis, eorum avaritiam immanitatemque declinandi cauſſa.

(1) *Extat in vol. IV. vita Gorgii Baglivii.*

Digitized by Google

Civitate donatus eos obtinuit honores, qui in Ariſtocratia ſecundi putantur, cumque eniteretur, ut neque amicis, neque etiam alienioribus deeſſet opera, conſilio atque pecunia, facile multorum benevolentiam atque gratiam ſibi conciliavit. Bene etiam de Republica illum meritum eſſe exiſtimabimus, quod ſuos ſic inſtituebat liberos, ut aliquando illi ornamento eſſent futuri. Horum natu maximus Petrus plurimum ingenio valebat, ſed is e vita deceſſit, cum primum ſervire Reipublicae, & nobiliſſimi ſcriptoris famam conſequi coepit. Quam excellens eſſet poeta Latinus Bartholomaeus, ex iis elegiis, quae cum Caroli Rotii aliorumque carminibus ſaepe editae ſunt, intelligi poteſt. Elegantia enim ac ſtili nobilitate Propertianas aequant. Vel ipſas feminas in hac familia matre Muſa natas dixiſſes (1), quibus exemplis excitatus Ro-

(1) *Haec ille in animadverſionibus ad lib. IV poematis de ſolis ac lunae defectibus*. Circumferuntur ſatis multa elegantiſſima carmina Petri fratris, quem an. XXII. aetatis ſuae amiſimus, incredibilis juvenis ſpei, inter quae verſiones plures & Ovi-

gerius ipſe, magna a pueritia ſpectavit. Sic illum tenebat humaniorum litterarum amor, ut nihil acrius, & cum Jeſuitarum ſcholas frequentaret, & illuſtriorum facta & ſcripta curioſe conquireret, nomen dare illorum familiae ſtatuit. Ea propter Romam venit autumno an. MDCCXXV. & itineris ſocios habuit ipſos praeceptores Bindium & Stephanium, ac Bartholomaeum fratrem, qui duodecim annos ante in ipſam familiam adſcriptus fuerat. Tyrocinium ita tranſegit, ut adoleſcens, qui Deo mature parere didicerat. Hoc peracto, renovavit ſtudia rhetorices, Scapecchio magiſtro, cujus ſcripta & praecepta omni turpitudine ſuperioris ſaeculi foedata eſſe videbantur. Feliciori ſucceſſu audivit in philoſophia Carolum Nocetum, qui tamen magis Latina poeſi, quam philoſophica doctrina commen-

dii ex Latino, & Molierii ex Gallico Illyricis verſibus conſcriptae celebrantur. Impreſſa ſunt ante hoſce duos annos Annae ſororis adhuc viventis Illyrica carmina Venetiis, quae itidem ſatis bene excepta ſunt a noſtrae linguae cultoribus.

dandus eſt. Teruntur omnium manibus ejus poemata de Iride & de Boreali Aurora, quae ſaepius edita ſunt, ſed nunquam melius, quam cum Boſcovichius ex diſcipulo magiſter factus ſuppeditavit Noceto illa omnia, quae pertinent ad recentiorem phyſicam. Quauquam cogeretur non ſorbere modo, ſed etiam concoquere quae magiſter Peripateticus proponebat, obverſabatur tamen ejus animo ſpecies quaedam veri, quae omnino tenuit eum, poſtquam mathematicis ſtudiis operam dare coepit. Nocetus quaedam in logica tetigerat, quae ad geometriam pertinebant. Horum per ſe quaeſivit demonſtrationem Rogerius, & quod ſane mirabeTis, vel eam invenit, quae quadratum hypothenuſae aequale eſſe probat cathetorum quadratis. Quo invento laetus non potuit ſe continere, quin idem, quod Archimedes ob deprehenſam menſuram argenti auro mixti exclamaret, inveni, inveni. Ex eo tempore noctes & dies animum illius concitavit deſiderium famam colligendi ex mathematicis diſciplinis, & currenti jam calcar addebant illa Noceti praeceptoris:

Quare agite, o juvenes, magnarum ſemina rerum
In vobis fortaſſe latent; haec pectore toto
Excolite, & ſolidas jamdudum extundite fruges,
Ac magnos ſuperate ſenes. Nam quis timor unquam
Impediat, vel qua coeat formidine ſanguis;
Ut quod avis licuit, deſperent poſſe nepotes?
Nunquid ut effoetae torpent ad gramina terrae,
Partubus amittit vires natura ferendis,
Naſcimur aut homines aliud genus? Addit easdem
Particulas nobis divinae mentis, & ignes
Aetherios, patribus quondam quos larga vetuſtis,
Nec ſi olim mater, nunc eſt natura noverca.

Non adhuc logices curriculum confecerat; cum induſtria ſingulari ſibi comparaverat propriam geometriam, & quos gradus ejus in hac re inventa habuerint, ex iis cognoſces geometriae elementis, quae poſtea ab ipſo in lucem ſunt emiſſa, quibus ſane nihil facilius, nihil compendioſius (totam enim geometriam ad XIV. capita, ſive, ut loquimur, propoſitiones reduxit) nihil elegantius, nihil ad exer-

Digitized by Google

exercendos per ſe ipſos adoleſcentes, quod maximi momenti in hujuſmodi ſtudiis eſſe putabat, in rerum geometricarum demonſtrationibus magis idoneum excogitari potuit. Res percrebuit, & in ore atque in ſermone omnium coepit eſſe adoleſcens, qui non excurrere, ſed evolare videbatur. Secundo philoſophici ſtadii anno cum ex conſuetudine majorum ſcholam matheſeos ingredi debuiſſet, quam regebat Horatius Burgundius, brevi eo progreſſus eſt, ut magiſter ipſe mirabundus exclamaverit: *iſte paſſis velis ab eo loco ſolvit, quo vix mihi pervenire contigit.* Diu fruſtra quaeſierat Burgundius ſolutionem, ut dicitur, irreducibilis caſus, & quod ſperabat majus aliquid poſſe effici a diſcipulo, ad eamdem rem inveſtigandam ipſum invitavit. Plurimum in ea laboravit Rogerius, ut aliquando quod volebat ſe obtinuiſſe putaverit. De quo cum ſcriberet ad Bartholomaeum fratrem, qui tum Peruſiae philoſophiam docebat, ab eo ſapienter ſane admonitus eſt, ne fruſtra tempus tereret in quaerendis rebus, quas aſſequi non poſſumus, & ingenii ſui magnitudinem ad utiliores uſus adjungeret. Multa

praeterea commemorarem, in quibus ſe exercuit Rogerius, Burgundio auctore, ſi eorum utilitas ad nos perveniſſet. Adjuvabant quidem ad exercendum ingenium in geometria, nec ſane melius fieri a praeceptore potuit, quam ut invitaret acutiſſimum diſcipulum ad dilatanda atque explicanda quaedam, quae coarctaverat, & peranguſte referſerat in *principiis ſuis* ille philoſophorum quaſi Deus Newtonus, quaeque ipſe, non ſatis a geometria inſtructus, aſſequi minime poterat. Tulit faſtidium Rogerius, cum principio haereret in multis, poſtea cum in familiaritatem, ut ita dicam, Newtoni veniſſet, generaliores & ſimpliciores quaſdam demonſtrationes invenit, in eo praeſertim quod pertinet ad gravitatem univerſorum corporum, quibus poſtea feliciter uſus eſt, ad aſtronomiam ſectiones conicas traducens. Accidit in iis diſputationibus, quae privatim & publice habebantur a Jeſuitis, in quibus unus eminuit inter omnes Rogerius, ut ipſe defendere debuerit quaedam praeceptoris dogmata de maris aeſtu. Quo ſtudioſius ab ipſo abſcondebantur quae hac de re didicerat a Newtono, ne a Burgundio cete-

riſque Peripateticis, qui dominabantur in ſcholis, diſſentire videretur, eo magis apparuere. Burgundius, quaſi ſubito emerſus e diuturnis tenebris, vehementer ſe aſſentiri diſcipulo dixit, ceteri obſtinatiores veritatem converterunt in culpam, quod credendum eſſe ajebant veteribus & priſcis philoſophis, neque ferendos, qui in philoſophia aliquid novandum putabant. Nihilo tamen minus quod laudatio Burgundii atque auctoritas magni erat momenti apud Nocetum, quo duce, illas diſputationes Rogerius habuit, neque eum deſeruit, nec quicquam eorum petulantiae, qui illius ſtudia improbabant, conceſſit. Confecto philoſophiae curſu an. MDCCXXXII. grammaticam, ut mos Jeſuitarum erat, docere coepit. Docuit primo Romae, mox per triennium, quia in ea urbe graviſſime aegrotaverat, Firmi, unde exeunte an. MDCCXXXVI. Romam rediit, ut eas litteras publice traderet, quibus exculti jam grammatica ad humanitatem informari ſolent. Quod Romani caeli aſpiratio ei gravis erat, periculoſo iterum morbo tentatus eſt, ex quo non convaluit niſi autumno an. MDCCXXXVII. Poſt

id tempus ſatis proſpera uſus eſt valetudine; ut longum vitae ſuae curſum in labore corporis, & in animi contentione conficere potuerit. Mirum vero videri debet ſummum ingenium Rogerii quadriennium & amplius tuliſſe grammaticorum tricas, & magnam habuit majoribus gratiam, cum ſe ad pertractandos poetas vocarunt. Mirifice enim delectabatur Muſis, & tam facilis & expeditus erat ad condenda Latina carmina, ut illa etiam ex tempore funderet. Quia magiſtri munus poſtulabat, ut in inſtauratione ſtudiorum humanitatis aliquid perfectum ingenio elaboratumque induſtria proferret, dixit carmen, quod poſtea in poema excrevit, de ſolis ac lunae defectibus, cui a cuncto conſeſſu plauſus multiplex fuit datus. Eodem illo anno, quod ejus ſchola diſcipulorum nobilitate florebat, illis recitanda dedit carmen, oden, elegias, epigrammata, & id generis alia de Turcarum excidio (omnes enim boni vota faciebant, ut bellum, quod adverſus illos a Caeſare ſuſceptum erat, proſpere eveniret) illaque picta & polita fuiſſe omnibus artis coloribus judicatum eſt. Haec ſtudia atque exer-

citationes minime imminuebant aliquid de ardore, quo ferebatur ad mathematicas diſciplinas. His enim tantum temporis concedebat, quantum relinquebatur ei a publico munere; & dum Firmi erat, quaedam ad Burgundium miſit, quae hic diſcipulis ſuis defendenda propoſuit; dolens fortaſſe quae ipſe ſero, quae leviter arripuerat, ſummo ſtudio ab adoleſcente percepta fuiſſe. Quod ex majorum inſtituto poſt quinquennalem ſcholam danda Rogerio opera erat Theologiae, ita ſatisfecit officio ſuo, ut omnes diligentiam & ingenium admirarentur; ſed quia ſaepe redibat ad mathematicas diſciplinas, quas amores ſuos appellare ſolebat, vehementer reprehenſus eſt a Timonio, cujus ſumma erat apud ſuos auctoritas. Nil enim ille probabat, niſi quod noverat, & nihili ducens exiſtimationes & judicia poſterorum, eum primum eſſe judicabat, qui copioſe & acute diſputare potuiſſet de ſcientia, ut loquuntur, media, de probabiliſmo, & de ceteris hujuſmodi quaeſtionibus, quibus nec mentes aluntur, neque mores conformantur. Nondum Rogerius, degens in Seminario Romano, abſolverat Theologicorum

ſtudiorum curriculum, cum juſſus eſt, raro ſane exemplo, in Burgundii locum matheſeos ſcholam regere. Tum in ſuo regno ſe eſſe putavit, & ampliſſima, quae ſibi comparaverat praeſidia tum ad diſcipulorum utilitatem, tum ad ſcholae ipſius ornamentum & decus, luxerunt adeo, ut non ſolum aequaſſe, ſed etiam viciſſe ſuperiorum magiſtrorum gloriam merito judicaretur. Illa, quae dicuntur matheſeos elementa, quibusque utebatur ad erudiendos diſcipulos, ſerius in vulgus edidit. Complexus eſt binis voluminibus geometriam planam, arithmeticam vulgarem, geometriam ſolidorum, trigonometriam cum planam, tum ſphaericam, & algebram finitorum, & haec vulgavit Romae an. MDCCLII. biennio vero poſt III. volumen in lucem emiſit, in quo omnem de ſectionibus conicis doctrinam expoſuit. Nunquam ſatis horum ſcriptorum ſubtilitas atque elegantia laudari poteſt. Ita nexa & ſtructa ſunt, quae ad geometriam pertinent, ita paucis univerſa haec ſcientia comprehenſa, ut qui haec ſemel cognita habuerit retinere, & ſi ingenio valeat, relictas partes per ſe explere facile poſſit. Neque de utraque trigono-

metria ſecus judicaveris. Vere enim gloriabatur Rogerius ita concinne omnia in iis eſſe diſtributa, ut quidquid aut addere, aut mutare, aut detrahere voluiſſet, deterius futurum fuiſſet. Verum quia eminent maxime, quae ad ſectiones conicas ſpectant, haud pigebit plura de iis dicere. Mirus eſt nexus rerum, & deductio ex unica definitione ad proprietates omnes, quae ſponte ſe ſe oſtendunt vel iis, qui ad illarum intelligentiam a matheſi minus habent inſtrumenti. Hujuſmodi eſt definitio: *ſi ex diverſis punctis cujuſcumque lineae ducantur perpendiculares ad rectam quamcumque indefinitam poſitione datam* (*directricem* hanc vocat) *& aliae rectae ducantur ad datum punctum quemcumque extra ipſam indefinitam* (ideſt focum) *erunt ſemper in ratione data*. Hanc lineam ſectionem conicam appellat, ellipſim, parabolam, vel hyperbolam, prout illa ratio fuerit minoris inaequalitatis, aequalitatis, vel majoris inaequalitatis. Tali modo retinet vetera Graecorum nomina, ſed quae ex cono aliiſque mechanicis inſtrumentis petebantur, ipſe in plano feliciſſime invenit. Ex hac definitione,

quam ceteri aut neglexerunt, aut non ſatis animadverterunt, quia prima fronte videtur eſſe ſterile quoddam theorema, mirum eſt quae & quanta, docente Rogerio, profluant. Ejus opus facile aſſimilaveris magnae arbori, in qua ex unico trunco exſurgant rami, e ramis ramuſculi, e ramuſculis ſurculi, e ſurculis frondes, & ex his flores & folia. Ne quid perfectioni operis deeſſet, poſtquam Auctor ſectiones conicas in plano quaeſivit, in cono etiam inveſtigavit. Mirabile inter cetera eſt ſcholion illud, ex quo patet, quod ſi ſecetur conus mobili plano & certa quadam ratione, ſectiones continuo aliam in aliam transformari, & vel in rectam, quo poſito, ſingulari acumine inveſtigat omnia ea, quae pertinent ad cylindrum, ſphaeroides atque conoides parabolicas & hyperbolicas. Quod in univerſo opere mirabiliter ſe produnt hac geometricae tranſformationes, ſeparatim de iis, ut & de quibusdam infiniti myſteriis agendum putavit, ut viam ſterneret illis, qui ſublimiores curvas noſcere, & algebrae ſecreta penetrare avebant. Dolendum ſane Rogerium in his elementis pertractandis non deſcendiſſe ad ae-

quationem illam ellipſis, cujus maximus eſt in aſtronomia uſus. Praeteriit hoc ipſum Hoſpitalius, ne dicam de minoribus ſectionum conicarum ſcriptoribus, ſed ab hominibus, quorum eminuit doctrina & ingenii acumen, id non modo poſtulari, ſed etiam propter ſummam rei utilitatem exigi poſſe videbatur. Vel antequam haec vulgaret Rogerius, in lucem venerant cum Andreae Tacqueti trigonometria plana, ejusdem trigonometria ſphaerica, & diſſertatio de cycloide & logiſtica. Quantus ſit harum linearum curvarum uſus in mechanica, in arithmetica & trigonometria, nemo vel mediocriter doctus ignorat. Expediebat igitur earum proprietates noſcere, idque ſummi praeſtiterunt mathematici, unaque cyclois plurimorum ingenia diu torſit, & exercuit. Narrat diligentiſſime Rogerius quem curſum habuerit ſingulorum induſtria, quid in controverſiam, aut diſceptationem vocatum ab iis fuerit, quid inventum, quidque eorum inventis ſe addere poſſe putaverit. Unica enim & prorſus nova demonſtratione exhibet tum perimetri, tum areae dimenſionem, eamdemque curvam lineam ſui ipſius evolutione gigni

confirmat. Attigit etiam nonnulla, quae plurimum mechanicam adjuvant, & ſi conferes ſcripta hujusmodi Rogerii cum aliis multis, quae tota in geometriae elementis explicandis verſantur, facile intelliges quid inter ſummos & mediocres viros interſit. Vel ea, quae non meliora tibi eſſe videbuntur, condita eſſe jucundius facile judicabis. Nec vero ei unquam materia deerat, ut quotannis exerceret diſcipulos ſuos in defenſione earum rerum, quae in reconditiori matheſi verſabantur. Ex quo ſumma extitit non modo utilitas, ſed etiam gloria, cum omnes admirarentur nullum eſſe tum in aſtronomia, tum in phyſica, tum in geometria locum adeo reconditum, quo Boſcovichii induſtria pervadere non poſſet. Quod per has diſſertationes illuſtris & pervagata ejus fama fuerit, minime pigebit nonnullas recenſere. De ſolis maculis, quas ab ipſius ſolis atmosphaera nubes veluti quasdam efficiente repetit, & de mercurio ſolem trajiciente, quod phaenomenon accidit an. MDCCXXXVI. III. id. Novembris ante meridiem, ita diſſeruit, ut ejus dicta rationibus, obſervationibuſque illuſtriorum aſtronomorum maxime conſentanea

fuerint. Obſervatio mercurii eo valuit, ut nodi locus, quod in planetae cujusvis converſione praecipuum eſt, cognoſceretur. Quia vero diligentia cum in omnibus rebus, tum in aſtronomia plurimum valet, & haec praeſertim adhibenda eſt in inſtrumentorum uſu, quantum illam coluerit Boſcovichius, ex diſſertatione *de novo Teleſcopii uſu ad objecta caeleſtia determinanda* conjici poterit. Copioſa, ſed paullo abſtruſior diſputatio fuit de Aurora Boreali, cui cauſſam dedit Borealis Aurora longe maxima, quae apparuit an. MDCCXXXVII. XVII. Kal. Jan. Fuit enim luce tanta, ut terram combuſtura videretur. Valde aſſentiebatur Mairanio, qui ejus, ut ceterorum omnium hujusmodi phaenomenorum, cauſſam aſſignandam arbitrabatur atmoſphaerae ſolari verſus terram decidenti. Sed diſſidebat ab eo in dimetienda altitudine, quae major apparebat ex calculis Boſcovichii, qui in ſua ſupputatione rationem habuit vis centrifugae ortae ex converſione atmosphaerae ſolaris circa ejus axem. Quanquam multa ſint in phyſica & gravia & utilia accurate copioſeque a philoſophis diſputata, latiſſime tamen tum patere videbantur ea, quae

ad telluris figuram pertinebant, atque haec quaeſtio tum communis erat omnium philoſophorum. Binas de iis diſſertationes conſcripſit Rogerius, quarum altera expoſuit veterum argumenta, quibus non ſatis recte utebantur ad probandum terram ſphaericam eſſe (ex iis enim nil aliud conficitur niſi arcuatam eſſe atque globoſam) altera quid ex recentiorum vel hypotheſibus, vel obſervationibus erui poſſet ad illa infirmanda. Prorſus id ſe confeciſſe putavit Rogerius, nihil eſſe quod evincat tellurem, quae ad ſenſum ſphaerica eſt, vel protrahi ad polos, vel comprimi, & nihil ex ejus figura ad motum ejusdem ſuadendum elici. Ceteri, qui conſecuti ſunt philoſophi, & recentiſſime etiam magni nominis mathematicus Placius (1), quamvis acutiſſimi & diligentiſſimi fuerint hujus figurae inveſtigatores, quam ellipticam eſſe multis de cauſſis ſuſpicantur, nihil tamen ſtatuere potuerunt, quod non incurrat in aliquam diffi-

(1) Memoires de l' Acad. des Sciences an. 1772. II. Part. p. 536,

cultatem. Elegans eſt diſſertatio *de circulis oſculatoribus*, qua efficitur, ut eorum naturam non ſolum animo contemplari, ſed ipſis propemodum oculis videre poſſimus. Via enim Euclidea traducuntur ii ad conicas ſectiones, unde ad ceteras lineas curvas gradu facto, breviter explicat Auctor quid de omnibus ſentiat, & qua ratione uti iis poſſumus in methodo infinitorum. De qua methodo ſic poſtea diſſeruit, ut quamvis ſyntheſi in primis valeret, eamque maxime excoleret, & eam in primis exercendam eſſe cenſeret, pervaſiſſe tamen ad reconditioris algebrae penetralia videatur. Profecto, etiam ſi nulla eſſet utilitas ex mathematicis diſciplinis, tamen ipſae propter ſe ipſas diligerentur, cum in ceteris ſtudiis umbram quidem & imaginem veri, in his ejusdem expreſſam effigiem intueamur. Cum vero ipſas traducimus ad phyſicas res, nihil invenimus firmius quod teneamus, quam quod illa ſuadent, idque ut perſpicuum eſſet diſcipulis ſuis, tribus diſſertationibus complexus eſt Rogerius, quae *de motu corporum projectorum in ſpatio non reſiſtente*, *de viribus centralibus*, & *de inaequalitate gravitatis in diverſis terrae locis* traduntur a recentioribus

philoſophis. Horum inventa non modo illuſtravit, ſed quaedam praetermiſſa ab iis, quaedam obſcure leviterque tacta aut ſupplevit, aut novis argumentis confirmavit. Ne quis vero abuteretur ſubſidiis, quae ab analyſi ſuppeditantur, unum propoſuit exemplum ex Euleri mechanica de transformatione curvarum in rectas (1) aperuitque quid eſſet illud, quod tantum virum inducere in errorem potuit. Quae diſſeruit in ſchola *de motu corporis attracti in centrum immobile, viribus decreſcentibus in ratione diſtantiarum reciproca duplicata in ſpa-*

(1) *Eulerus Tom. I.* Mechanicae par. 762. *affirmavit*: ſi vires ſint in ratione diſtantiarum reciproca triplicata, vel majore, delatum ad centrum debere nuſquam amplius reperiri, ſed quaſi ſubito annichilari, valore nimirum formulae, quae diſtantiam exprimit poſt appulſum ad centrum abeunte imaginarium ſive impoſſibilem: ſi vires ſint in ratione minore quam triplicata, ſed non minore quam ſimplici, corpus pariter delatum cum infinita celeritate debere curſum retro flectere: & ſolum ubi vires ſint in ratione minus quam ſimplici, debere appellere cum velocitate finita, & ultra progredi.

Digitized by Google

tiis non reſiſtentibus, & de viribus vivis relata fuerunt in Acta Academiae Bononienſis, cui ipſe erat adſcriptus. Iis quidem temporibus quaeſtio longe maxima putabatur, quae erat de virium vivarum menſurandi ratione, quaeque illuſtriorum mathematicorum ingenia diu exercuerat. Certandum & ſibi putavit Rogerius, ſed ita, ut hanc controverſiam vel componendam, vel dirimendam, vel potius omnino tollendam eſſe contenderet. Vires enim vivas in natura nullas eſſe affirmavit, eaſque esse inutiles ad explicanda phaenomena, quae a ſola mobilitate pendent, ut haec a vi inertiae, & a cauſſis, quae ejus ſtatum mutant. *Omnino*, ait Auctor, *ſi rite notetur ſeries tota velocitatum, quae generantur, vel extinguuntur a mortuis viribus, ſive a potentiarum actionibus, computando ipſarum incrementa, vel decrementa a vi, quae agit, & tempore, quo agit, habebitur omnium phaenomenorum determinatio, adeoque & explicatio.* Hanc ipſam diſſertationem primum editam an. MDCCXLV. cum miſiſſet Rogerius ad Mairanium, de quo ſupra mentionem fecimus, & in hac ipſa quaeſtione exercitatiſſimum, reſcripſit ille ſe prorſus proba-

re ejusdem ſententiam, ac brevi fore, ut philoſophi ab hujuſmodi controverſia abſtinerent, de qua cum pluribus verbis, quam opus eſſe videretur, ut pote de nominis quaeſtione, poſtea diſputaſſet Franciſcus Zanottus, tantum & ipſe tribuit huic diſſertationi, quantum tribuere veritati neceſſe erat. Quae revera in natura exiſtant dominenturque vires, quid agant, quibuſque legibus ſubjectae ſint, & quomodo menſurandae diſſeruit poſtea Rogerius ſeparatim, & illud omnium corporum tum terreſtrium, tum caeleſtium naturale principium, gravitatem ſcilicet optimo in lumine collocavit. Quidquid docet, docet feliciter, & mirum omnibus videri debet ſolvi ab eo ſynthefis ope problemata, quae illi impervia eſſe videbantur. Cujus rei ut unam rem exempli cauſſa afferamus, ſolutionem commemorabimus problematis mechanici de ſolido maximae attractionis, quod ea admirabiliter laudata ſit a Montignio, qui ad eam Rogerium ipſum invitaverat. Ceterum dum explicat virium theoriam, fortaſſe plus aequo ſibi plaudit, quod & ipſe aliquid confingere potuit, quo nihil evidentius eſſe putabat, adeo faciles ſunt homines ad ea probanda, quae ipſi

ipſi invenerunt. Bene poſuiſſe videbantur Newtoniani dogmata ſua de gravitate, tum in magnis, tum in parvis diſtantiis, de quibus ſic diſſeruit Boſcovichius, ut quae in iis corrigere ſe poſſe putavit, deteriora fecerit. Nam ex illius ſententia lex virium in majoribus diſtantiis accedit quam proxime ad rationem reciprocam, ut loquuntur, duplicatam diſtantiarum, in minimis vero ab eadem recedit in immenſum, atque exponitur ab eo per curvam quamdam, cujus poſtremum crus accedit ad curvam gravitatis Newtonianae quam proxime, in minoribus vero diſtantiis contorquetur circa axem, & in minimis exhibet repulſiones auctas in infinitum, ubi in infinitum diſtantiae decreſcant. Hinc, ſi ipſum audis, gravitas eſt tantummodo quidam ramus legis generalis virium, a qua unica lege repetenda ſunt omnia naturae phaenomena, omnes corporum proprietates, & omnes motus. Quae pluribus in diſſertationibus tanquam ſemina quaedam hujus doctrinae ſparſerat Boſcovichius, paullo latius dilatavit poſtea, cum una alteraque diſſertatione de lumine egiſſet. His praeſertim gloriabatur, invitabatque om-

nes ad illarum dogmata propugnanda, quin immo iraſcebatur, ſi quis aliquid iiſdem opponeret atque objiceret. Jeſuitae ſoliti admirari omnia ea, quae a ſuis prodibant, compleverant ſcholas hocce Boſcovichiano ſyſtemate; & quoad ipſe vixit illud pugnaciſſime defendit, perinde ac ſi ab eo vox naturae exprimeretur. *Prorſus mihi perſuaſum eſt*, ajebat ille, *extenſionem accurate continuam, & ſoliditatem ac impenetrabilitatem ex immediato contactu ortam non eſſe abſolutas materiae & corporum proprietates, ut illas nullo modo eſſe proprietates ipſorum arbitrer. Cenſeo igitur materiam omnem & corpora conſtare punctis prorſus indiviſibilibus & inextenſis, quae puncta ſemper a ſe invicem diſtent aliquo intervallo, quod imminui poſſit in infinitum, ſed auferri non poſſit ſine compenetratione punctorum. Haec puncta puto praedita eſſe a natura viribus quibuſdam, quae in minimis diſtantiis cogant ipſa a ſe invicem recedere, quas idcirco repulſivas appello, & quae, imminutis in infinitum diſtantiis, augeantur in infinitum, auctis autem diſtantiis, minuantur, donec in quadam di-*

Digitized by Google

ſtantia, adhuc tamen perquam exigua, nullae ſint, tum directione mutata ad acceſſum determinent, & attractivae dicantur, ac creſcant itidem & decreſcant, ac plurimis vicibus directione mutata, migrent ex attractivis in repulſivas, ac viceverſa: exponantur nimirum per ordinatas ad curvam lineam, cujus abſciſſae exprimant diſtantias, & prout illa curva axem in pluribus punctis ſecans ordinatarum ſuarum directionem mutet, mutetur & virium directio. In hujuſmodi diſputatione dicendi aſſiduitas aluit confidentiam, fiebatque ut & ſuorum & ſui judicio dignus putaretur, qui novam conderet phyſicam. Sed antequam de iis dicamus, quae poſtea vulgavit ad ſuam comprobandam ac dilatandam ſententiam, dicendum videtur de aliis illius ſcriptis, quibus cognitis, facilius rationem & viam, quam in ſuis ſtudiis tenuit, conſiderare poterimus. Ex quo tempore coepit mathematicis rebus operam dare, erexerat animum ad excolendam aſtronomiam, & quod maxime admirabiles ſunt annui motus, ſive aberrationes illarum ſtellarum, quae fixae vocantur, & quod ex iis maximum argumentum eruitur ad

ſuadendum telluris motum, de ipſis ita diſſeruit, ut ſatisfecerit & aſtronomis, & illis, qui, neglectis obſervationibus & rationibus, ſe religione obſtrictos putant, ut terram quieſcere affirment. Etenim ne hos irritaret ſuam quamdam rationem propoſuit, qua omnia phaenomena, quae ſe ſe moventi telluri tribuimus, vel ipſa quieſcente, explicari poſſent (1). Ipſe & locos alios graviſſimos ex

(1) *Hanc ſuam ſententiam hiſce verbis expoſuit* in ſupplementis ad lib. I. Philoſophiae recentioris a Benedicto Stajo verſibus traditae. Sit vis inertiae non abſoluta, ſed reſpectiva reſpectu ſpatii cujusdam, quo tellus & aſtra omnia includuntur, ac maneant cetera omnia, quae a quibusvis recentioribus philoſophis, ut Newtonianis, requiruntur, & id ſpatium aliquando quieſcat, habebitur abſolutus telluris motus, quem ipſi Newtoniani requirunt. Incipiat jam illud ſpatium moveri motibus omnibus contrariis, & aequalibus iis, quibus movebatur tellus, tellus ipſa reſpectu ejus ſpatii perget moveri eodem modo, ac prius, ſed is non erit motus abſolutus. Omnino abſolute quieſcet ab ipſo ſpatio mobili retracta tantum, quantum intra ipsum ſpatium per reliquas vires progreditur, quae abſolutum ejus motum non gignent, ſed ejus translationem impedient. *Vide etiam* Diſſert. de maris aeſtu.

Digitized by Google

aſtronomia, poſtquam de ea in univerſum & de obſervationibus rite inſtituendis, & de lentibus & teleſcopiis dioptricis diſſeruerat, tractavit. Egit enim ſeparatim *de cometis*, *de determinanda orbita planetae ope catoptricae ex datis vi, celeritate ac directione in dato puncto*, qua ſane diſſertatione nihil elegantius fieri potuit, *de methodo a ſe excogitata adhibendi phaſium obſervationes in eclipſibus lunaribus*, *de lunae atmoſphaera*, *de aeſtu maris*, *de ſubtilitate ſolaris lucis*, atque hujus generis aliis. Quaedam vero, quae anguſte reſerſerat in his diſſertationibus, dilatavit poſtea, noviſque aut argumentis, aut obſervationibus confirmavit. Nam quoties ei ſe ſe occaſio obtulit, ut prudenter poſſet intexere in iis, quae poſtea elucubravit, operibus, quae in ſchola diſſeruerat, aut de iis mentionem faceret, nunquam illam dimiſit (1).

---

(1) Hoc praeſertim praeſtitit in iis v. *voluminibus; in quibus collegit opera pertinentia ad opticam & aſtronomiam.*

Nobilitatus cum jam ipſe eſſet multitudine & praeſtantia rerum editarum, & praeconiiis praeſertim ſuorum, qui neminem illi parem ponebant, conſulebatur, adhibebaturque Romae in omni re, quae ad matheſin quomodocumque pertinebat. Diximus alias (1) de controverſia ſane acerrima, quae in ea urbe fuit propter metum ruinae Vaticani tholi. Rogerius in ea ſententia fuit vitium ab illo factum fuiſſe, atque huic ferreo circulo conſulendum, eamque ut probaret, bina edidit ſcripta. Oppugnarunt alii, ac praeſertim Bottarius & Ravilliaſius, & in diſcrepantia voluntatum & ſcriptorum de iis rogatus eſt magni nominis mathematicus Joannes Polenius. Convenit inter illum & Rogerium de cingendo tholo ferreo circulo, ſed hic de Polenio juſtam ſe querendi cauſſam habere putavit, quod a ſe ſurripuerit inventum illud geometricum, quo probatur ferrum in orbem circumactum ſex amplius agere, quam ſi ad perpendiculum inſiſteret. Haec querela diffuit a-

(1) *In vita Joannis Polenii Tom. XII.*

micitiam, quam ſimilitudo ſtudiorum contraxerat, quanquam affirmaret Polenius de ſe male exiſtimandi ſe nihil loci Rogerio dediſſe. Inter haec alia plurima geometrica in lucem emiſit, quibus locus datus eſt in ephemeridibus Litteratorum, quae a Fratribus Paleariniis Romae vulgabantur; & quae problema ſolvunt de hora maximorum & minimorum aeſtuum, quod & ſolverat Daniel Bernoullius analyſis ope, & quae methodum docent elevandi infinitinomium ad quamcumque potentiam, maxime laudata fuere ab harum diſciplinarum cultoribus. Cum vacabat a ſchola, & in Tiburtinam, vel in Tuſculanam villam recreandi animi cauſſa concedebat, nunquam erat otioſus: conquirebat monumenta antiquitatis, & de quibusdam, ut de horologio ſolari quodam, & de Aegyptio obeliſco, qui ſolis umbras, ac dierum noctiumque magnitudines indicabat, ſententiam ſuam explicavit. Cum vero vel in otio redibat ad ſtudia ſua mathematica & aſtronomica, tanta erat contentio animi, ut aliquando in ipſa villa Tiburtina ortum incendium, ex quo omnes effugiebant, ipſe, veluti alter Archimedes, qui habens animum occupatum in pulvere mathe-

matico ignoravit patriae direptionem, quaſi quodam aeſtu ingenii prócul a terra abreptus minime ſenſerit. Mirum vero videri debet virum, qui pervaſerat adeo ad abſtruſiora mathematicarum diſciplinarum, nihil abnuere ſolitum fuiſſe ſtudiis eorum, qui aliquid in iis proficere cupiebant. Contempſit enim ſemper eos, qui triſti & recondita natura ita ſtudent litteris, ut ſibi ſoli ſapiant. Omnino videri volebat ſe eſſe unum hominem ad morum, ſermonum, ac voluntatum omnium, cum quibus vivimus, varietatem accommodatiſſimum, & nihil magis velle, quam inſervire communi utilitati. Exprimenda tum illi fuerunt, quae videbantur veroſimiliora de aere, cum de turbine rogatus eſſet dicere, qui magna Romae ejuſque agro importaverat detrimenta. Quaeſivit etiam ab illo, qui Arcadum Academiae praeerat, ut uberius & planius, collegas ſuos docendi cauſſa, explicare vellet, quae Nocetus de Aurora Boreali verſibus Latinis cecinerat, ſtatimque Rogerius detulit ad eorum coetum Dialogos V. Italice ſcriptos, in quibus erant ſententiae ad probandum accommodatae & verba ad audiendum jucunda. Mairanius ipſe & hos dialogos & cetera, quae

exaravit Rogerius ad explanandas Noceti, vel potius ſui ipſius ſententias, adeo probavit, ut cum ſecundo edidiſſet ſuum opus de Boreali Aurora, nihil illis potuiſſe fieri melius judicaverit, ſibique gratulatus ſit, quod cum tanto viro conſenſerit (1). Quod judicium alio quoque cumulavit. Obtinuit enim ab Academicis ſuis Pariſienſibus, ut Rogerius unus ex iis eſſet, qui *Correſpondentes* appellantur. Laudes & tribuit magnas in illo ipſo opere Mairanius Diſſertationi Rogerii de Lunae atmosphaera, ex qua una conjici poſſe affirmat, quam doctus phyſicis eſſet, & quam exercitatus in aſtronomia; ac prorſus aſſentiri videtur eidem, ſi Luna atmoſphaeram habet, hanc diſſimilem eſſe terreſtris, talem denique, quae aquam, minime aerem imitetur. Nec minorem laudem conſecutus eſt Rogerius ex iis, quae de iride ad illuſtrandum alterum Noceti poema breviter expoſuit. Quae de angulo maximo & minimo iridis, ſecutus

(1) *Vide* Traité phyſique & hiſtorique de l'Aurore Boreale, ſeconde edition. Paris 1754. pag. 304.

Newtonum, attulit, ſeparatim etiam edidit in ephemeridibus Palearinianis, quod geſtiebat palam omnibus facere quantum in matheſi valebat. Facile enim potuit eas omnes de iride formulas demonſtrare, quas tantummodo indicaverat Newtonus ipſe. Ab hoc vero diſſentit, ut et a Lipſienſium Actorum Scriptoribus in eo, quod ille a Marco Antonio de Dominis, hi a Keplero ſurripuiſſe Carteſium explicationem hujus ipſius phaenomeni affirmaverint. Galli, qui Carteſio maxime gloriantur, plauſerunt Rogerio, quod a tanto viro furti ſuſpicionem amoverit. Quapropter in illis ephemeridibus, quae Sapientum appellantur, non de hoc modo opere, ſed & de ceteris fere omnibus a Rogerio vulgatis honorificentiſſime judicarunt. Miſit idem aliquando ad Pariſienſem Academiam ſcriptum de erroribus Jovis & Saturni, ad quod pertractandum argumentum praemio ipſa excitaverat celebriores aſtronomos. Obtinuit illud Eulerus, quanquam pronuntiaverint Academici non minus ſatisfeciſſe propoſito argumento Rogerium. Verum quia non providerunt, ut eſſet unde par pari referretur, doluit id ve-

hementer Rogerius, deliberavitque ſe non amplius in hujusmodi curricula deſcenſurum. Quod & fecit, praeſertim cum illi ſors ſatis amplum in Urbe terrarum principe dediſſet campum, in quo ejus ingenium excurrere, cognoſcique poſſet. Hic

. . . . *quem ſidera mundi,*
Vires, menſuras, rationes, pondera rerum,
Et numeros audit pubes Romana docentem (1)

ita de ſe praedicari ac nominari volebat, quaſi de uno homine, qui reſtituerat ſuis rationem veram philoſophandi, quam conſuetudo vitioſa detraxerat. Quapropter pollicebatur omnibus ſibi magnae curae fore, ut Jeſuitae non tam mathematicarum & phyſicarum rerum ſtudiis, quam ceteris facultatibus celebrarentur. Et ei jam nihil noceri poterat ab obſtinatioribus Peripateticis, cum illius ſtudia probarent maxime qui ad Catholicae Eccleſiae guberna-

(1) *Stajus* Philoſoph. Cart. lib. v. pag. 256.

cula ſedebat Benedictus XIV. & ille omnis liberalis artis fautor eximius, quo praeſertim Pontifex utebatur in adminiſtratione Reipublicae, Cardinalis Sylvius Valentius. Pervenit ad horum aures Rogerium cogitare Americam (1), ut eum meridiani circuli gradum metiretur, qui ſibi ad quaeſtionem de forma terrae dirimendam (non enim poterat in alio-

---

(1) *Rem ita narrat Boſcovichius ipſe in nota quadam lib. IV.* de Solis ac Lunae defectibus. Petierat Luſitaniae Rex Joannes V. decem e noſtra Societate mathematicos a noſtro ſupremo Praeſide, Praepoſitum Generalem appellamus, qui in Braſiliam navigarent, & mappas delinearent regionum cum Hiſpanis commutandarum, ac limites definirent: ego me ad id opus obtuleram ei, qui Regium Legatum agebat tum Romae apud Pontificem, eratque itidem e Societate noſtra, ea conditione. ut mihi ſimul liceret metiri meridiani gradum, quem cum Quitenſi conferrem definito paullo ante a Pariſienſibus Academicis; & quidem non ſolum annuerat ipſe, ſed facultatem illico ab ipſo Praepoſito Generali mihi impetraverat. De diſceſſu cogitantem Cardinalis Valentius continuit in urbe, & Pontificis nomine imperavit, ut quae pro Braſilia medita-

rum menſuris acquieſcere) aptiſſimus videbatur. Id autem penitus in animo illius inſederat, ſi duo gradus in meridianis duobus diverſis circulis cognoſcerentur, quorum graduum latitudo eſſet eadem, ac menſurae nequaquam inter ſe, quod valde ſuſpicabatur, conſentirent, id argumento tandem fore meridianos non omnes ejusdem figurae eſſe, terraeque formam revocari ad calculos nondum poſſe. Pontifex, qui cum eſſet doctiſſimus, amplificare litteras maxime ſtudebat, Valentio mandavit, ut retineret hominem in Italia, invitaretque ad quaerendam terrae formam in ipſa Pontificia ditione; ſe enim inſtrumenta omnia, quae ad rem tantam opus eſſent, praeſtiturum. Commodum autem accidit, ut qui gradus metiendus per Valentium proponebatur, is pari fere eſſet latitudine, atque ille, quem antea

bar, in ditione Pontificia exequerer; qua in re quantum ipſi debeam, cognoſcet ſane quicumque perpenderit ea, quae inſequentibus annis in Luſitania acciderunt.

Caillius in Auſtrali Gallia metitus fuerat, ut gradus obvenire nullus poſſet ad id, quod Boſcovichius volebat, accommodatior. Qui ſimul ut id ſenſit, ſibi gaudens, nihil prius habuit, quam ut occaſionem arriperet, nullamque interpoſuit moram, quin ſe colligens de univerſa illius menſurae ratione ſecum ipſe conſtitueret. Quod cum feciſſet, atque inſtrumenta paraſſet, ſocio ſibi adſcito Chriſtophoro Majerio Britanno mathematico e Societate Jeſu clariſſimo, in viam confeſtim ſe dedit. Roma, qua in urbe metiendi initium fecerat, ſuperatis deinde celſiſſimi Apennini montibus, opus uſque Ariminum deduxit, totumque illum meridiani circuli arcum ſtudio tanto dimetitus eſt, ut omnium, quicumque adhuc hujusmodi dimenſionibus claruerunt, vel vicerit diligentiam, vel ſaltem aequaverit. Interim dum eum, quem dixi, arcum metiebatur, non praetermiſit modo huc modo illuc divertere ad geographicas tabulas urbium, oppidorumque, quibus tota illa regio frequens eſt, quod etiam Pontifex juſſerat, emendandas. De his rebus omnibus librum an. MDCCLVII. edidit, quem inſcripſit: *De litteraria expeditione per Pontificiam ditionem*,

Digitized by Google

quem partim ipſe, partim Majerius compoſuerat. Totum ipſe poſtea in epitomam redegit, quam ad Bononienſem Academiam miſit, ut in illius Acta referretur. Profecto oportebat gradum illum, quem Caillius in Gallia dimetitus fuerat, ſi certa eſſet, eaque, quam multi volebant, telluris forma, illo majorem eſſe, quem Boſcovichius in Italia metiebatur, omnemque differentiam in hexapedis ad ſummum octo conſiſtere. Atque in novem conſtitit ſupra ſexaginta. Differunt inter ſe aliae dimenſiones, quae poſtea, ipſo Boſcovichio auctore (1) factae fuerunt, cujus differentiae cauſſam nonnulli montium attractioni praeſertim tribuerunt, cujus & Boſcovichius tantam vim eſſe vidit, ut neque ſenſum omnino fugiat, & errores poſſit parere in his, quae aguntur, menſuris non ferendos. Jam ſi conferas omnia, quae ad hanc uſque diem peracta ſunt, laudabis quidem &

(1) *Ipſe quidem Hungariae Reginam & Sardiniae Regem hortatus eſt, ut illa per Scherfferium & Liesganighium, hic per Beccariam meridiani gradus dimetiendos curarent.*

Principum liberalitatem, qui nulli pepercerunt ſumptui, & mathematicorum induſtriam, qui graviſſimos perpeſſi ſunt labores, ut quaeſtio graviſſima ſolveretur; dolebis vero hominum conditionem, qui dum verum quaerunt, in eas ſaepe difficultates dilabuntur, ut illud latere magnis obſcuratum & circumfuſum tenebris confirment inviti. Quia mos ſemper fuit Rogerio geometriae vim in difficiliorum problematum ſolutione experiri, in quo quidem neminem ſuperiorem habuit, nec uti algebraico calculo, niſi ad colligendas ex geometricis ſolutionibus breves formulas, quae unico obtutu ſolutionum ipſarum fructum exhiberent, nec integrali calculo unquam, niſi ad ipſas geometricas ſolutiones confirmandas, hunc ipſum morem tenuit in hoc opere, quod commendari etiam voluit ſolutione illorum problematum, quae ad gravitatis leges, & ad cauſſas, quae illas perturbare poſſunt, pertinent. Neque commendatur minus opuſculo quodam, quo plures rationes perſecutus est rectificandi, ut dicitur, inſtrumenta, quae ad dimetiendos meridiani gradus ſunt neceſſaria, errores aeſtimandi, corrigendique, habendique in univerſa hac re exercen-

cen-

tenda regulam, qua vera & falſa judicentur. Quapropter qui talia tentare voluerint, Boſcovichium praeceptorem habere minime recuſabunt. In hoc exequendo negotio, quod ſuſceptum eſt exeunte an. MDCCL. duos ferme annos conſumpſit Rogerius, neque incommoda ſolum graviſſima ſuſtinuit, ſed etiam in vitae diſcrimen venit. Concidit ponticulus ligneus, dum per illum tranſibat; parum abfuit, quin propter Tiberis inundationem fame conſumeretur, cum in loco Oſtiae proximo conſiſteret. Pertinuerant aquae ad tabulatum uſque tugurii, in quo habitabat, nec quidquam ſuppeditari poterat cibi a naviculariis, qui omnis carebant. Ab hominibus etiam, qui magicas artes eum exercere putabant, a beſtiis, a turbinibus, a tempeſtatibus eidem pericula fuerunt, de quibus ſaepe loquebatur, quod ei jucunda erat omnium ſuarum rerum narratio. Sed in tantis moleſtiis attulerunt magnam delectationem obſervatio rerum naturalium, quae mirabiles philoſopho videbantur, poeſis (& de poliendo augendoque de ſolis & lunae defectibus poemate tum maxime cogitabat) exercitationes geometricae, cum ab eo exigeretur,

ut, quae inſtituerat edere matheſeos elementa, abſolveret, caeli & caeleſtium phaenomenorum contemplatio, & liberale hoſpitium, quo Arimini acceptus eſt a veteri amico Franciſco Garampio Comite. His levamentis adderem ſocietatem Majerii, niſi is difficili & moroſa natura fuiſſet, quae in dementiam uſque abiit. Quin miſerrimam omnino eſſe dicemus conditionem hominum, quod talis fuit exitus vitae duorum ſummorum mathematicorum, qui laborem utilem adeo & glorioſum ſuſceperunt dimetiendi Italici gradus, nihilque unquam recuſarunt, quo et ſe poſſent juvare & ſuos? Hoc ſtudium publici commodi facile obtinuit a Boſcovichio, ut confecto illo negotio, propter quod non admodum magnifico praemio donatus a Pontifice fuit (centum enim tantummodo centuſſes & auream pyxidem illi dedit) redierit ad ſcholae occupationes, & erat Romae libentiſſime, quod ei patebant domus potentiorum, quod omnes ejus doctrinam honorabant, quod gaudebat epulis extructiſque menſis, & quod ibi multa induſtriae ſubſidia atque inſtrumenta habebat. Maxime vero laetabatur multos jam eſſe in-

ter Jeſuitas ſuos, quorum laudes, dum phyſica & mathematica publice docebant, magna ex parte ad ſe redundabant. Plane hoc ſpectavit Carolus Benvenutus, magni ingenii magnaeque doctrinae homo, qui cum edidiſſet an. MDCCLIV. *ſynopſim phyſicae generalis* & diſſertationem *de lumine*, ingenue faſſus eſt ſe a Boſcovichio praeceptore ſumpſiſſe omnia ea, quae tantos plauſus & clamores moverunt. Ipſe vero Boſcovichius quotannis e ſchola matheſeos aliquid emittebat dignum ſuo nomine, quod ſcientiam, quam profitebatur, illuſtrabat. Ut ſibi etiam verſibus Latinis adquireret famam, magnopere ſtudebat, & in Arcadum coetum ſaepe veniebat, deferens aut philoſophica, aut, ut carminum delectaret varietas, deſcribens ea, quae maxime digna memoria eſſe videbantur. Verſibus aliquando expreſſit celebriorum tum mathematicorum, tum philoſophorum imagines, ſaepe etiam in Regum laudes ejus oratio excurrit, movitque maxime plauſus, & clamores ſuſcitavit, cum de aegrotante Summo Pontifice Benedicto XIV. carmen compoſuiſſet, cujus haec fuit ſententia:

Laetare, incolumis Roma, ſalvo Principe..

Conſuetudinem eorum artificum imitatus, qui ut pretium operibus majus invenirent, marmori adſcripſerunt Praxitelem ſuo, interdum Rogerius breve aliquod carmen confecit, quod fictum pro antiquo dixit, ſed non adeo videtur mihi fuiſſe idoneus, ut in hoc illudere potuiſſet intelligentibus ſcribendi exiſtimatoribus. Promptus erat ad pangendos verſus, ornabat etiam eos ſapientibus ſententiis, ſed fruſtra in iis quaeſieris illam aequalem perpolitionem perpetuamque elegantiam, quam tantòpere in veteribus ſcriptoribus admiramur. Praeter quam quod nimium ſua ſuſpiciebat Rogerius, ut potuiſſet limae laborem ferre. Ex illo etiam genere feſtivitatis, quo ſemper Catullus, interdum etiam Martialis excelluit, laudem quaeſivit, ſed ſaepe frigidus erat, & dum, quod in homine mathematico miraberis, ad gloriam ſuam ducebat eſſe permagnum, recitare in conviviis, in congreſſionibus familiaribus, quae condiderat hujus generis, epigrammata, pariebat vitioſam offenſionem atque faſtidium. Verum quis tam durus, qui non veniam dandam putet homini, qui habebat cauſſam celebritatis & nominis a graviſſimis utiliſ-

ſimiſque diſciplinis, quod ad laudem quoque poetae adſpiraverit, & illud litterarum genus coluerit, quo vel agreſtiores capiuntur? Omnino jam bene egit, quod inflammavit Benedictum Stajum, hominem ſibi officiis, uſu, conſuetudine & patria conjunctiſſimum, qui gloriabatur ſe eſſe imitatorem ſtudiorum illius, ad explicandam verſibus Latinis recentiorum philoſophiam; neque inflammavit modo, ſed plura eidem ſuppeditavit, quibus opus immortalitate digniſſimum perficeret atque illuſtraret. Ipſe jam ſuarum virium periculum antea fecerat, cum ſex libris totam Carteſianam philoſophiam complexus eſſet, illam quidem magis Muſarum ingenio, quam veritati judicioque naturae accommodatam. Poſt id animum ad Newtonianam verſibus exornandam convertit, quin maxima rerum difficultate ac magnitudine deterreretur. Nemo enim vel in poeſi exercitatiſſimus cujuſquam facultatis eſſe putabat, poſſe verſibus expoliri univerſam motuum doctrinam, quam mechanicam vocant, Keplerianas leges, varios & impeditos lunae curſus, atque alia hujuſmodi tum caeleſtia, tum terreſtria phaenomena, quae a gravitatis vi promanant,

illa item, quae lucis & colorum naturam explicant, omnia denique illa, quae licet Newtonus ex naturae & geometriae receſſibus in lucem proferre ſtuduerit, deliteſcunt tamen adhuc adeo, ut niſi mathematicorūm lingua exponi poſſe videantur. Iſta tanta tamque multa ſic a Stajo perfecta ſunt, tamque optimis atque ornatiſſimis verſibus declarata, ut per eum nullis terminis circumſcribere ac definire jus ſuum poeſis videatur. Nunquam mehercle hoc dicerem, ne aliquid tribuere amicitiae judicarer, niſi jam conſtaret inter doctos, a nemine unquam, ex quo poetarum artificia extiterunt, majorem difficilioremque rem fuiſſe ſuſceptam, feliciorique ſucceſſu abſolutam. At licet Stajus plane philoſophiae ſatisfecerit, quia tamen multi erant loci, qui uberiorem explicationem deſiderabant, quoſque ſuos proprios eſſe dicunt, qui in phyſica & matheſi cognoſcendis atque tractandis omne ſuum ſtudium poſuerunt, illorum illuſtrandorum partes ſibi ſumpſit Boſcovichius, neque repugnavit Stajus, qui ab amico multa didicerat, & qui magnum ornamentum operi ſuo ab illo acceſſurum minime dubitabat. Quaecumque ergo res incidit, quae phy-

ſicorum & mathematicorum more & lingua esset explicanda, in ea ſe prudentiſſimum & peritiſſimum Boſcovichius oſtendit, nec ſententias modo aliorum, ſed & ſuas ita declaravit, ut appareat multa per ipſum fuiſſe inventa, & licuiſſe ei illa ſua facultate & copia, qua res difficillimas lineari, ut appellant, geometriae ſubjiciebat, quacumque vellet vagari. Etſi nullum aliud opus Boſcovichii extaret, ex hoc tamen uno quam magnus & admirandus fuiſset mathematicus conjici poſſet. Hujus operis I. volumen Romae in lucem venit an. MDCCLV, II. quinquennio poſt, III. vero non expectatum modo avidiſſime, ſed etiam poſtulatum ſaepius a Rogerio deſideratur adhuc, quamvis ſpes ſit non laturum Stajum, ut quae ipſe tanto cum labore perfecit (ad decem enim uſque libros opus perduxit) diutius publica luce careant. Quare autem Boſcovichius id non fecerit, quod promiſerat, utebatur excuſatione itinerum, maximarumque occupationum, quibus ejus vita diſtricta fuit, poſtquam adhiberi eſt coeptus ad publica negotia. Cum ſcirent Lucenſes quantum is valeret in aquarum ſcientia, & harum cauſſa magnae iis eſſent contro-

verſiae cum Etruſcis, illum habere patronum concupierunt. Rogatus a Philippo Bonamicio, ſe ad hanc cauſſam minime acceſſurum reſpondit, niſi Pontificis & Majorum ſuorum juſſu. Cum data eſſet venia, ipſe Lucam venit an. MDCCLVII. Quanquam dederint operam Lucenſes, ut convenirent mathematici, qui de controverſia judicium ferre debebant, nihil tamen actum eſt, adverſante maxime Emmanuele Richecourtio perpetuo illorum inimico, qui tum Franciſci I. Caeſaris nomine ad Etruriae gubernacula ſedebat. Infecta igitur re, donatuſque mille centuſſibus Romam rediit Boſcovichius, & tum magnis precibus ab eo poſtularunt Raguſini ſui, ut Pariſios concedere vellet ad placandum Regis Galliarum iratum animum, qui ab iis aliquid factum male querebatur de homine, qui ſua negotia Raguſae procurabat. Valentius Cardinalis, qui nolebat tantum virum ab Italia abduci, ita rem egit cum Pontifice, ut ipſe in ſe ſuſceperit negotium illud, tranſegeritque feliciſſime cum Regis ipſius Legato, qui tum Romae erat, Choaſeullio. Poſt id Rogerius rediit ad Lucenſes, inde Romam, ac demum ceſſit precibus eorum, qui in dan-

do munifici erant, & in poſtulando humaniſſimi, ut Vindobonam concederet cauſſam Reipublicae acturus apud Caeſarem, quoniam a Richecourtio niſi verba obtineri potuerant. Annum ferme integrum Vindobonae commoratus eſt, ejuſque opera magni ſane fuit Lucenſibus, qui illi acceptum retulere, quod Richecourtii irae, qui ſe illos ipſos ſubmerſuros aquis Sexti, ſeu Bientinenſis lacus ajebat, tanquam frena a Caeſare injecta fuerunt. Pro quibus in Rempublicam meritis, non modo publicis litteris illi gratiae actae fuerunt, ſed & data munera regia, & ipſe inter Patricios Lucenſes relatus. Nullo non honore Vindobonae affectus fuit ab iis, qui aut muneribus, aut nobilitate generis, aut divitiis ibi praeſtabant, & ſingularis benignitas Caeſaris, & ſummae virtutes ejus uxoris Thereſiae ejusdem poeticum ingenium provehebant. Bellum tum iis erat cum Boruſſiae Rege, & ob reportatam victoriam Colinenſem poema incepit, quo canere bellum illud, & viros, qui militari gloria excellebant, ſibi propoſuit. Primum illius librum brevi confectum obtulit Thereſiae Reginae, ſed quia multa adverſa poſtea accide-

runt, opus e manibus depoſuit. Quoniam vero fructus aliquis ſui Vindobonenſis otii extare volebat, Carolo Scherfferio Jeſuita ſuaſore, ſuam univerſae phyſicae theoriam, quam antea tantummodo variis in diſſertationibus adumbraverat, ita dilatandam ſuſcepit, ut in illa omnia naturae phaenomena, omneſque corporum proprietates, ut ita dicam, condi & collocari voluerit. Quod miraberis ſane, quadraginta dierum ſpatio, ipſo Scherfferio adjutore, abſolvit librum, quem inſcripſit: *Theoria philoſophiae naturalis redacta ad unicam legem virium in natura exiſtentium*, quique editus Vindobonae, poſt diſceſſum ab illa urbe Auctoris recuſus quinquennio poſt fuit Baſſani a Remondinio, quia mendoſe multa facta fuerant in illa priori editione. Si Boſcovichium audiſſes, nihil hoc opere majus & glorioſius unquam ipſe confecit, quo ſuperaſſe ipſum Newtonum arbitrabatur, quod quae hic a duabus, vel tribus legibus repetebat, ipſe ad unicam, ſimplicem, continuam revocaverit, quae in eo nititur, ut ſit inter omnia materiae puncta vis quaedam mutua, quae a diſtantiis pendeat, quibus mutatis, ſic illa mutatur, ut in aliis at-

tractiva ſit, in aliis repulſiva, ſed certa quadam, ut ipſi videbatur, & immutabili lege. Nulla, ex ejus ſententia, eſt continuitas vera, ſed tantummodo apparens. Et re quidem vera, ſi corpora quaedam ita inter ſe diſtent, ut angulum minorem ſexdecim ſecundis minutis efficiant, unum tibi eſſe corpus videbuntur, quamvis duo ſint. Quid igitur? Verum ne eſſe putabimus Boſcovichianum ſyſtema (ſic enim appellari volebat) quod totum continuitatis legi innititur, quam locum habere affirmabat in omnibus corporibus, & in minimis materiae elementis? Haec alii viderint; at vel diffidentes facile fatebuntur, totum hoc inventum fuisſe excellentis cujusdam ingenii & ſingularis, quod elucet maxime in difficultate ſolvendi difficillima mechanices problemata ſola Euclideae geometriae ope, eaque, ut & cetera omnia phyſica phaenomena ad unicum caput, ſeu principium referendi. Profecto ſi probare potuiſſet Boſcovichius corporum elementa, ut ſunt ſimplicia, eſſe quoque inextenſa, nec argumenta ipſius in aliqua inductione poſita fuisſent, fortaſſe ſe omni reprehenſione liberaſſet. At in hujuſmodi rebus vix quidquam conſti-

tui poſſe videtur, quod non gignat opiniones varias atque incertas. Quia vero idem leviter tetigerat ea, quae ad centrum percuſſionis pertinent, dilatanda eſſe putavit, idque praeſtitit in epiſtola ad Scherfferium, qua ipſum opus clauſit. Quod percrebuerat jam fama Rogerii apud exteras nationes, hujus fructum colligendi cauſſa, poſtquam Lucenſium mandatis ſatisfecerat, & in Italiam redierat, deliberavit de longioribus ſuſcipiendis itineribus, ſperans ex iis ſe poſſe reportare ad Italos ſuos inſtrumenta ſapientiae. Ex liberalitate Lucenſium tantum jam coegerat pecuniae, ut ſatis eſſet huic deſiderio ſuo, in quo exequendo quatuor & amplius annos conſumſit. Peragravit univerſam fere Italiam, inde in Galliam, atque in Britanniam conceſſit. Londinenſis commoratio ei praeſertim glorioſa fuit. Relatus enim eſt in Regiam Academiam, & ut gratus pro tanto beneficio cognoſceretur, nuncupavit illi tum primum editum ſuum poema *de ſolis ac lunae defectibus*, quod in v. libros diviſit, & adnotationibus illuſtravit, ut facilius, quae verſibus perſequitur, intelligi poſſent vel ab iis, qui imperiti ſunt rerum caeleſtium atque geome-

tricarum. Late quidem patet hoc poema, & pertinet non ad eclipſes modo, ſed etiam ad totam caeleſtem phyſicam, & ad praecipua Newtoni dogmata, quem merito invocavit, tanquam poematis ipſius Numen.

Tu decus Angligenûm, atque humanae gloria gentis,
Tu majus mihi Numen eris, Newtone, repoſtos
Cui primo penetrare aditus, penituſque latentes
Sponte dedit vires natura, arcanaque jura
Diſcere, & attonitum late vulgare per Orbem.
Tu vacuas noſti primus qua lege per auras
Attracta arcano ſe foedere ſydera ducant,
Inflectantque viam, mediumque immobile circum
Aeternos renovent gyros, per inane Cometae,
Quo fugiant, longo donec poſt tempore triſtem
Reſtituant terris vultum, crineſque cruentos.
Noſti etiam, coeli cum parte feruntur eadem
Jupiter, & multo genitor jam tardus ab aevo,
Cur turbent motuſque ſuos, comitumque catervas:
Non illi irarum memores, ſed amore novato,
Quo rurſum amplexus, rurſum oſcula mutua poſcunt.

Fata vetant conferre globos, jubet ire per auras
Impetus, & rurſum oppoſitas diſcedere ad oras,
Dum ſe iterum juncti quatuor poſt luſtra reviſant.
Nequidquam incertos dubiis erroribus orbes
Implicuit, curaſque diu deluſit inanes
Cynthia: tu retegis, tu certis legibus arctas.
Quid memorem alternos motus, quibus alta tumenti
Objicibus ruptis conſurgunt aequora fluctu,
Tum redeunt retro, rurſumque in ſe ipſa reſidunt?
Quid preſſam Terrae formam circum undique dorſo,
Quae tumet in medio, atque polo ſubſidit utroque?
Diverſis diverſa locis quid pondera? vel quid
Vim cuncta Eoas urgentem ſydera in oras,
Annuaque imbriferi celerantem exordia veris?
Omnibus haec ignota olim mortalibus, acri
Vidiſti ingenio primus: nunc, te duce, molles
Jam pueri in ludis, primoque docentur ab aevo.
Nec minus illa quidem vel quondam incognita, vel nunc

Per te jam pueris, teneris & nota puellis,
Aeternum peperere tibi nomenque decuſque.
Scilicet in prima naſcentis origine Mundi
Quae niveis Charites digitis tenuiſſima lucis
Fila colorato duxerunt ſtamine, & aureo
Texuerunt fulvam nectentes pectine telam,
Inſpiciens oculo diſpeſcis primus acuto,
Filaque diſſocias, atque acri ſingula ſiſtis
Obtutu contemplanda, & quem quodque colorem
Exhibeat, quantumque, doces, de tramite recto
Intortum deflectat iter, vel quanta requirat
Intervalla viae, ut certa vice; ſi nova ſe ſe
Corporis objiciat facies, aut pergere porro,
Aptius, aut retro fiat reſilire repulſum.
Tum ſi plura ſimul coeant, quem mixta colorem
Component, vel quo percellent lumina niſu.
His ita perſpectis, prono jam cetera victor
Perſequeris curſu & campo expatiaris aperto.
Nam quodvis filum, quae lamina materiai
Tranſmittat, reddatve, magis prout craſſa, minuſve;
Deinde doces, pleno radius cum venerit albens
Lumine, quae coeptum producant ſtamina curſum,

Quae redeant, qui proinde color ſeu tranſpicia-
tur,
Sive oculis ſe ſe reflexo lumine ſiſtat.
Hinc formas rerum externas, & particularum
Deprendis variam molem, textumque, & opaco
Quae ſint caeca ſinu, quae corpora pervia
luci,
Quae certum ſervent, & quae variata colorem
Pro vario poſitu mutent oculique, ſuique.
Cur tenerae viridi frondes velentur amictu,
At nimio exuſtae flaveſcant Solis ab igne;
Unde roſis ardens vultu rubor; unde, ni-
grantes,
Purpura, quae violas triſti circumſidet umbra,
Canaque cur puro niteant candore liguſtra;
At contra tenerae cur levia colla columbae,
Et bullae pueris luſus, tenueſque capilli,
Filaque, quae molli deducit aranea ſucco;
Et gemmae, & pluvio pendentes aere guttae
Mille trahant varios adverſo ſole colores.
Haec primus comperta vides, ſimul abdita
pandis
Mille alia atque alia accumulans; totumque
per Orbem
Diffundis late. Stupet alta mente volutans
At-

Attonitum mortale genus tam multa repente
Educta, atque adeo brevibus concredita chartis:
Plus unum vidiſſe hominem, quam viderit omne
Naturam inquirens ſapientum turba per aevum.

Hos verſus idcirco attulimus, ut ex iis judicium fieri poſſit de univerſo poemate, quo praeſertim gloriabatur Boſcovichius, cujus multas decades verſuum ſaepe memoriter recitabat, quodque tertio edidit Pariſiis anno MDCCLXXIX. cum illud Gallicam in linguam convertiſſet Barruellius non ſine corollario carminum & adnotationum. Is ſane feciſſet eidem magnam injuriam, qui in dubium revocaſſet tam facilem habuiſſe illum Calliopem in hoc poemate condendo, quam habebat Uraniam, dum caeli motus & aſtra ſcrutabatur. Quod maximi momenti eſt ad bene noſcendas ſolis, & omnium planetarum & cometarum diſtantias obſervatio tranſitus veneris ſub ſole, qui raro evenit, laetabatur ſibi Boſcovichius futurum hoc phaenomenum an. MDCCLXI. non. Junii; nec ſe modo, ſed et ceteros aſtronomos invitabat ad illud ob-

ſervandum. Retulit ad Academiam de errore quodam Hallei, qui dum an. MDCCXV. docuit Academiam ipſam, quae loca maxime huic obſervationi inſtituendae idonea eſſent, & quae diſcrimina temporis ex diverſitate locorum futura eſſent, duorum quorumdam angulorum ſubtractionem pro ſumma adhibuit. Academia & ſua ſponte, & vocibus etiam Boſcovichii excitata miſit hac de cauſſa binos aſtronomos ad inſulam S. Helenae, totidemque ad Sumatram inſulam, & tum ipſe Byzantium cogitabat. Serius illo venit, & antequam Venetiis ſolveret, illa in urbe phaenomenon aviſſime expectatum, ut potuit (non enim locus opportunus erat, carebatque ipſe idoneis inſtrumentis) obſervavit. Illo tempore, quo Londini fuit, non modo in flore doctorum hominum verſabatur, ſed etiam in aula familiariter vivebat cum Guilelmo & Henrico Principibus. Viſitabat celebriores artifices, & cum Dollondio ſaepe ſermones habuit de perficiendis teleſcopiis, & quid judicandum eſſet de Euleri opuſculo quodam, in quo calculos nectens varios, & analogia neſcio qua utens, conjecit lentes ubique poſſe fieri binis vitris

aquam continentibus, in quibus non eſſet radiorum diſtractio metuenda. Formulas etiam adhibuit, quibus ſtatim cognoſceretur, quae utrilibet vitro ſphaericitas conveniret, & quo modo eſſent ambo inter ſe componenda. Ingenioſiſſima excogitatio, & Eulero digna. Sed Dollondius cum formularum periculum feciſſet, exitus non reſpondit, quod illum commovit, ut experimenta caperet alia atque alia. Inter haec comperit, ſi duo quaedam vitrorum genera adhiberentur, radiorum coloratorum diſtractionem non pariter in utroque fieri, majoremque in uno eſſe, quam in altero, proportione ad ſubducendos calculos commodiſſima. Hac re cognita, facile intellexit homo acutiſſimus priſmata & lentes ita ex his vitris conformari poſſe, ut ſi apte jungerentur, ſic ſe mutuo radiorum refractiones compenſarent, ut nulla tandem eſſet diſtractio; habereturque, quod fieri non poſſe putaverat Newtonus, refractio colorum expers. Quod ut re comprobaret, lentes illico ex iis, quae dixi, vitris, confecit. Belliſſime res ſucceſſit. His deinde teleſcopia condidit, quorum unum cum Boſcovichio oſtendiſſet, hic vix quidquam fie-

ri perfectius poſſe judicavit. Sed non ſatis erat id vitii teleſcopiis adimere, quod ex coloratorum radiorum diſtractione manabat, niſi & illud demeretur, quod forma parit. Nam cum lentes vix aliam accipere formam poſſint, niſi ſphaericam, inde fit, ut radii ab uno objecti puncto prodeuntes, vel ſi nulla fiat coloratorum diſtractio, nequaquam tamen poſſint omnes in unum punctum colligi. Huic malo ſuccurrit Clairautius, mathematicus Gallus ſuae aetatis facile princeps. Speravit is, ut ſi ſphaericitates diverſae apte inter ſe componerentur, vitium, quod reliquum erat, tolleretur; neque id ſperavit ſolum, ſed etiam perfecit. Nam cum varios vitrorum modos, lentiumque genera quam varie jungi poſſent, ſecum ipſe perpendiſſet, atque omnia in formulas conjeciſſet, vitra undique perquiſivit, ſi quae eſſent in Gallia, quae cum illis, quibus Dollondius utebatur, poſſent comparari. Quaerenti fortuna non defuit. Vitra ergo, qualia ſibi optaverat, nactus, lentes Pariſiis fieri juſſit ad id, quod volebat, aptiſſimas, & teleſcopia confecit, quibus nihil eſt adhuc illuſtrius. Expoſuit deinde haec omnia eleganti

ſermone in Pariſienſis Academiae Commentariis annorum quinquageſimi ſexti, & quinquageſimi ſeptimi ſupra milleſimum ſeptingenteſimum. Poſt haec pro amicitia, quae illi cum Boſcovichio intercedebat, ei per litteras ſignificavit, quoddam ſe vitri genus reperiſſe e Germania advectum, a quo radiorum coloratorum diſtractio duplo eſt major, quam quae a vitris communibus eſſe ſolet; hac proportione miram iis formulis, quas ipſe tradiderat, ſimplicitatem addi. Haec Dollondii & Clairautii inventa. Dignus erat, qui his ſuccederet Boſcovichius. Is ergo in provinciam jam occupatam veniens, aggredi id voluit, quod erat reliquum, quodque eſt maxime in invento quovis deſiderandum; ut omnia nempe, quaecumque antea ſunt tradita, in unum colligantur, iiſque & brevitas addatur & ſimplicitas. Id ille ſcilicet in recentiſſimo hoc invento mire praeſtitit, ut jam videatur res tota ab eo magis petenda eſſe, qui illam illuſtravit, quam ab iis, qui invenerunt; id quod novum non eſt in pleriſque inventis recens editis. Sermonem ergo fecit doctiſſimum, quem ad Academiam Bononienſem miſit, eique locus

datus eſt in Parte I. Tom. V. Commentariorum ejuſdem Academiae. Hoc ille Clairautii formulas complexus eſt elegantiſſimas, demonſtrationeſque formulis dignas; quippe hae ſummam continent. Ac ne nihil de ſuo praeter brevitatem ſimplicitatemque addidiſſe videretur, deſcriptionem in extremo adjunxit inſtrumenti cujuſdam mirabilis ac plane novi, quo facile cognoſcatur, quae cuique vitro vis ſit ad radios vel refringendos, vel diſtrahendos. Hoc inſtrumentum, ut quod ſuum eſt, arbitratu ſuo appellavit, dixitque vitrometrum. Hyalometrum fortaſſe dixiſſet, ſi Graecis auribus ſervire voluiſſet. Latinis maluit & noſtris. Quanquam haec acciderint poſtquam Rogerius ad Italos ſuos redierat, narrationem tamen eorum minime ſejungendam putavimus ab iis, quae vidit & fecit in Anglia, quod Dollondii conſuetudo occaſionem illi dedit haec ipſa pertractandi. A Britannis ad Batavos & ad Belgas venit, inde ad Gallos rediit, ſingulareſque illi habiti honores fuerunt ab iis omnibus, qui in litteris excellere, atque his favere putabantur. Quanquam id nonnullis leve videri poſſit, non tacendum ta-

men putamus, Cordaram & Cunichium, qui inter Jeſuitas ſcribendorum carminum elegantia eminebant, ita luſiſſe de ficta Rogerii coma, qua utebatur coactus mutare religioſa veſtimenta, dum degebat inter haereticos, ut apotheoſin quamdam illius fecerint. Interea tempus advenit, quo Petrus Corrarius Venetorum ad Turcarum Regem Legatus Venetiis diſcedere debebat. Hominis amiciſſimi, cujus gratiam verſibus etiam ſibi Rogerius conciliaverat (nam an. MDCCLVIII. carmen vulgavit de nuptiis Joannis Corrarii ejuſdem filii & Andrianae Piſauriae) beneficio uſus, cum eo navigavit. Mos eſt Venetis navibus ſuis Tenedum uſque advehere Legatos, qui ex eo loco Byzantium trajecturi, Turcarum triremes conſcendunt. Dum has Corrarius opperiebatur, quaeſivit cum Rogerio quid ſupereſſet antiquorum monumentorum eo in loco, qui habebat maxime cauſſam celebritatis & nominis ab illis Virgilii verſibus:

Eſt in conſpectu Tenedos notiſſima fama
Inſula, dives opum, Priami dum regna manebant;
Nunc tantum ſinus & ſtatio male fida carinis.

Digitized by Google

Pretioſa marmora, columnas, parietinas, arcus, inſcriptiones Latii lingua exaratas, quas invenerunt, non ad illam vetuſtiſſimam, ſed ad recentiorem Trojam Auguſti Caeſaris aetate conditam pertinere judicarunt, & haec omnia ita deſcripſit Rogerius, ut antiquitatis ſe litterate peritum oſtenderit. Septem menſes Byzantii fuit, ibique graviter adeo aegrotavit, ut de ejus vita omnes deſperarent. Quantas tum habuit declarationes amoris Vergenii Comitis Gallorum Legati, viri ſane ſummi, cui neminem aequaveris tractandarum rerum publicarum prudentia atque dexteritate! Erat & carus, commendatione maxime Macleſfieldii, qui praeerat Londinenſi Academiae, Jacobo Porterio Anglorum Legato, & cum eo, poſtquam convaluerat, ineunte aeſtate an. MDCCLXII. Byzantio diſceſſit. Vidit multas urbes Turcarum imperio ſubjectas, Moldaviam & Poloniam, & quae obſervaverat diligenter non ſolum, ſed etiam minute deſcripſit, ex qua deſcriptione opus confecit Baſſani editum an. MDCCLXXXIV. cum hoc titulo: *Giornale d' un viaggio da Coſtantinopoli in Polonia con una relazione delle rovi-*

ne di Troja. Quae ad Moldaviam pertinent, quanquam quae ſcribebat plena eſſent feſtinationis & pulveris, maximi putantur, quia declarant qua ratione illa tum gubernabatur ac regebatur, qui mores, & quod commercium eſſet incolarum. In Polonia iterum aegrotavit, quae aegrotatio, maximaque frigora, & Ruſſorum Imperatoris mors cauſſa fuerunt, ne ad illos proficiſceretur. Dimiſſus a Porterio, & male habitus a Chirurgo imperitiſſimo, qui ut cruri mederetur, perniciem univerſo corpori moliebatur, Varſoviae duos ferme menſes commorari coactus eſt. Nihil illi fortunatius fuit quam invenire in illo regno Adamum Czartorisikium, quem Romae ad algebrae ſtudia inſtituerat, cujus officiis ab univerſa Czartoriſikiorum & Poniatowiskiorum familia, aliiſque nobiliſſimis Polonis, quacumque iret, ſingularia beneficia & honores accepit. Diverſatus etiam eſt in ſuburbiis Varſoviae apud Pomium Galliarum Regis Legatum, ejuſque in domo, concurrentibus ad eum videndi cauſſa potentioribus Polonorum, qui tum ſua concilia habebant, multas obſervationes aſtronomicas inſtituit. Tandem, ſicuti ſumme concu-

pierat, Decembri an. MDCCLXII. Vindobonam rediit, ibique quatuor & amplius menſes fuit. Diſceſſit ab illa urbe cum Lichteſteinio Principe, ex cujus comitatu cepit maximum fructum, donec Romanis ſuis redditus eſt, qui aegre tulerant tantam vim ingenii diutius peregrinatam fuiſſe in alienis terris. Fervebat tum maxime magnum & arduum opus exſiccandae Pontinae paludis, eique praeerat Bonaccurſius Cardinalis. Hic ſecum habere voluit Rogerium, ut quae conſulta fuerant, praeſertim a Gabriele Manfredio & Romualdo Bertallia, ſi recta ipſe judicaſſet, ad exitum pervenirent. Multa is ſcripto mandavit, quae declarant fuiſſe illum prudentiſſimum & cautum in alienis ſententiis perpendendis, ſuiſque proponendis. Egit etiam ſeparatim de excavando Anxuris portu, & ſicuti antea fecerat de Antiati, rationem conſiliorum ſuorum pluribus probavit. Quanquam ſe penitus inſinuaverat in ea, quae celebriores mathematici tradiderunt de aquarum ſcientia, nihil tamen intolerabilius & periculoſius eſſe dicebat, quam velle revocare omnia ad matheſin; conſulendam experientiam, caute & lente agendum, &

illum luxum mathematicum (ſic enim appellabat) ſuſpectum eſſe debere iis, qui ſciunt magna ex parte univerſam hanc ſcientiam a phyſica pendere. Quis eſſet ſenſus Rogerii de his rebus, ex iis facile cognoſces, quae Antonius Lecchius ab eo deprompſit, ut multorum mathematicorum vanitatem coargueret, qui dominari ſe putant in univerſa hydroſtatica, ne quis ſpecie rerum deceptus incerta pro certis, quod ſummae ſtultitiae eſſet, habeat. Eodem tempore, quo Boſcovichius invitatus fuit ad viſendam Pontinam paludem, litteras a Senatu Mediolanenſi accepit, quibus vocabatur ad tradendas mathematicas diſciplinas in Gymnaſio Ticinenſi. Romanus Pontifex ab ſe invitisſime dimiſit hominem, qui publicis ſuis rationibus utiliſſimus fore videbatur; ſed quia ita evocabatur, ut nihil acrius, & quia impellebatur a ſuis, ne munus ſibi glorioſum obire differret, Ticinum conceſſit vere an. MDCCLXIV. Oratio, quam habuit in ingreſſu muneris, multa, varia & copioſa fuit, ſed non puris & electis verbis, quod ab homine mathematico minime exigebatur, compoſita. Ad eas laudes, quas habuit de Ticinenſi Gymnaſio, addidit non

parum de ſuis, de itineribus a ſe factis, de honoribus ſibi tributis a Germaniae Principibus, a Stanislao Lotharingiae Duce, cujus laudes etiam Latinis verſibus cecinerat, & a celebrioribus Academiis, ac de quibusdam ſui & aliorum inventis, & de illo praeſertim utiliſſimo lentium acromaticarum. Triennio poſtquam ibi erat, cum neſcio quid invidiolae inter eos exortum fuiſſet, moleſtias a collegis habere coepit, quas homo nimium ſui amans minime patienter ferebat. Sed aequi judices libenter confitebantur, illius Gymnaſii gloriam niti etiam Boſcovichii laudibus, quod judicium maxime confirmarunt Diſſertationes illae quinque editae anno MDCCLXVII. Vindobonae *de recentibus compertis ad Dioptricam pertinentibus*, quo opere merito gloriabatur Rogerius, quod omnibus, quae ab illo vulgata fuerant, ſi quid judico, ſit anteponendum. Vel ab an. MDCCLXIII. quo idem miſerat ad Academiam Bononienſem Diſſertationem *de recentibus compertis pertinentibus ad perficiendam Dioptricam*, de qua ſupra mentionem fecimus, fidem ſuam obligaverat, ſe hoc argumentum uberius tractaturum, ubi per tempus licuiſſet. Ne autem cito licue-

rit, fecerunt mandata, quae habuit a Summo Pontifice Clemente XIII. tum Pontinae paludis, tum Ariminenſis portus cauſſa, qui cum eſſet obſtructus, navibus minime aditum dabat, diligens praeparatio earum rerum, quas publici doctoris munus exigebat, & quae referre debuit ad Senatum de principe Mediolanenſi Templo, de cujus faſtigio perficiendo cum cogitaretur, timor erat, ne novo ferendo oneri par eſſet aedificium. Tandem anno MDCCLXV. cum ſatis otii nactus fuiſſet, biennii intervallo interrupta iterum in manus ſumpſit, ſuppeditavitque Scherfferio ſuo materiem operis, de quo diximus, & Bononienſi Academiae opuſculum ſane grande *de unione colorum poſt alios per binas ſubſtantias, ac unione multo majore per tres*, ex quo maximum ornamentum acceſſit Volumini II. Partis V. Commentariorum ejusdem Academiae. Plures ipſe antea obſervationes habuerat in hanc rem inquirens, ſed non ſatis accuratas, quod caruerat idoneo inſtrumento; quo ſibi comparato, quod optabat invenit, inventumque laetitia elatus multorum & doctrina & nobilitate praeſtantium virorum tum Ticini, tum Mediolani oculis ſubjecit. Venit

quoque ad Rogerium illud viſendi cauſſa Dux Eboracenſis, qui tum per Italiam iter habebat, & a Clairautio aliiſque illuſtrioribus mathematicis, quibus communicare de rebus ſuis conſueverat, ob hujusmodi inventum ſingulares retulit laudes. Sed ut propius eas, de quibus commemoravimus, diſſertationes antingamus, laudi dandum eſt Boſcovichio, quod machinam excogitaverit, quae mirificum praebet uſum ad definiendas, interque ſe comparandas qualitates, ut loquuntur, refractivas & diſtractivas vitrorum, de qua egit in prima diſſertatione Quae ipſe experimenta habuit ſui vitrometri ope, ita deſcribuntur in ſecunda diſſertatione, ut ex iis maxime cognoſci poſſit, quomodo duabus lentibus duorum tantummodo colorum unio fiat, quomodo tribus bini extremi colores cum medio copulentur, & alia hujuſmodi plura, quae ad diverſam colorum unionem pertinent. Quaerit in tertia diſſertatione, quomodo fiat, quod lumen cadens ſupra lentem ſphaericam parvae magnitudinis & craſſitiei, diſtribuatur ſuper parvum circulum, quod oritur ex errore ſphaericae figurae, quod problema & novitate & difficultate rei mathematicorum allicere ſane debebat indu-

ſtriam. Fatetur Boſcovichius plurimum in eo inſudaſſe, & miror equidem, cum ingredienti in rem ipſam ea ſe ſe obtulerint, quae facile in analyſi exercitatiſſimum virum eo, quo tendebat, perducere potuiſſent. Sed nihil detrahere Boſcovichii gloriae videbor, ſi affirmavero in illa facultate non adeo ipſum valuiſſe, ut in ſyntheſi valebat. Non enim omnes omnia poſſumus; & cum jamdiu illi mos eſſet nihil earum rerum legere, quas nobiliores analyſis, ut & ceterarum doctrinarum cultores in lucem emittebant, ignoratis illorum inventis, multis inferior eſſe debebat. Et dioptrica quidem adeo indiget ſublimiori analyſi, ut ſi quis contulerit, quae vir ſummus Eulerus edidit de ipſa an. MDCCLXIX. cum iis, quae antea vulgata fuerant, ceteros omnes longe multumque ſuperaſſe videatur. Attamen non mediocria ſunt, quae invenit Boſcovichius, ut ipſe quoque merito ad inventoris laudem aſpirare potuerit, nulluſque, ut arbitror, inficias iverit et nova & praeclara eſſe quae affert in IV. & V. Diſſertatione, dum quaerit quis ſit focus luminis reflexi a ſuperficie poſteriori cujusdam lentis, quod in ingreſſu atque egreſſu binas pati-

tur refractiones, & qui ſint foci luminis, quod in una, vel pluribus lentibus reflectitur & a prima & a ſecunda ſuperficie, quibus explicatis, rationem ſe reddere poſſe putavit cujusdam luminis erratici, quod apparet interdum circum corpora, quae teleſcopio videmus. Alia multa praetermittimus ſane & ingenioſe excogitata & feliciter demonſtrata, quae mirum in modum has diſſertationes commendant. Has quadriennio poſtquam ediderat, ut planum faceret iis, qui opticae ſtudere incipiunt, eamque exercent, quid eſſet illud, quod per ſe conſecutus fuerat, & ab aliis didicerat, libellum Italice ſcriptum in lucem emiſit, quo univerſam teleſcopiorum dioptricorum doctrinam elegantiſſime perſecutus eſt. Inter haec egerunt cum eo Londinenſes Academici, ut Academiae nomine & ſumptibus ſe in Californiam trajiceret ad obſervandum veneris ſub ſole tranſitum, quod an. MDCCLXVIIII. accidere debebat. Ille omnia perpeti paratus, quibus ſe ſe magis magiſque extolleret, & ingenium proderet, ſe non recuſare onus reſpondit. Sed dum cogitabat Americam, expulſi ab ea fuerunt ab Hiſpaniarum Rege Jeſuitae, quod ei omnem glorioſiſſimi

mi mandati exequendi ſpem ademit. Id vehementius doluit, quod a multis & magnis moleſtiis, quas trahebat ex Ticinenſi commoratione, abeſſe optabàt. Quapropter illud non multo poſt molitus eſt, ut ſibi concederetur reviſere Galliam & Belgium, quo itinere invidorum injuriam, ſuamque moroſitatem fecit illuſtrem. Bruxellis dum erát, quod jamdiu ex crure laborabat, medicum adhibuit ruſticum quemdam, qui crurum Deus appellabatur, quod elogium curatione Rogerii comprobavit. Quando ipſe in Italiam rediit, magno cum animi ſui gaudio e Ticinenſi Academia, ſexto poſt anno quam in illam venerat, ad Palatinas ſcholas (ſic enim nominabatur Gymnaſium Mediolanenſe) translatus eſt. Sed qui locus tranquillitatis pleniſſimus ei fore videbatur, attulit graviſſimas moleſtias, tantum ut de eo cedere coactus fuerit. Quod miraberis, vel de ſuis Jeſuitis juſtam querendi cauſſam habuit, quorum aliorumque invidorum artibus factum eſt, ne amplius praeeſſet Aſtronomicae ſpeculae, in quam non mediocres labores atque ſumptus impenderat. Tum oblatam ſibi occaſionem arripuit comitandi Muti-

nenſium Ducem, qui ſpecie magis, quam re gubernabat Mediolanenſem Provinciam, ad baluea Abani, ex quo loco litteras dedit ad Firmianum Comitem, cujus nutu omnia gerebantur, quae declarabant ſe minime Mediolanum rediturum, niſi priſtinam ſuam dignitatem & locum recuperaſſet. Ut vidit male ſe rem habere, eam, quam fruſtra ad illud uſque tempus quaeſierat, tranquillitatem expetens, a negotiis publicis, a luce hominum ſe removere, & in patriae otium confugere deliberavit. Inter haec Venetiis ad decem ferme menſes commoratus eſt, qua in urbe erat libentiſſime, quod ſe inſinuaverat in familiaritatem Gallorum Regis Legati, & multorum nobilitate & honoribus praeſtantium virorum. Sed dum expectabat tempus idoneum ad navigandum Raguſam, ictu Pontificii fulminis concidit (fato neſcio quo miſero ipſius Pontificiae majeſtatis atque litterarum) omnis Jeſuitarum Societas, quem caſum doluit vehementer, quamvis de ea deſerenda aliquando cogitaverit. Tum mutationem conſilii sibi faciendam eſſe duxit, & cum in Etruriam veniſſet, ſuaſor ei fui, ut reſpiceret Academiam

Piſanam, omniaque expectaret a Petri Leopoldi Magni Ducis liberalitate. Eodem tempore invitabatur a Mercio Comite Caeſaris ad Galliarum Regem Legato, ut apud ſe diverſaretur, & quod deſiderio flagrabat reviſendi Pariſios, & quod mihi certum non erat quibus conditionibus in Academia Piſana conſtitiſſet (quanquam non erat dubium fore illas honeſtiſſimas) comitem ſe praebuit Bordio Ludovici XV. a cubiculo, qui ex itinere Italico revertebatur ad Gallos ſuos. Quod praemonueram accidit, ut Magnus Dux mihi mandaverit, litteras ad Rogerium darem, confirmaremque illum in voluntate opticam docendi D. centuſſium ſtipendio in Academia Piſana. Serius ei redditae meae litterae fuerunt, quas dum expectabat, vinci ſe paſſus eſt a conſiliis eorum, qui quae oblata fuerant Regis ipſius nomine ab iis, qui rem maritimam adminiſtrabant, haud recuſanda eſſe ſuadebant (1).

(1) Les intentions (*ſic ille*) du Roi Louis XV. en me fixant dans ſes Etats ſe trouvent clairement ex-

Qui tum fortunatiſſimus habebatur, quod mille & quingentorum centuſſium ſtipendium obtinuerat, quod non tanquam advena, ſed tanquam popularis (ſic enim Rex ipſe juſſerat) degebat in urbe, quae lux orbis terrarum, & omnium doctrinarum ſedes eſſe putatur, & quod vivebat amiciſſime & familiariſſime cum iis, quorum praecipuae partes erant in adminiſtratione Reipublicae, tantas poſtea perpeſſus

primées dans les deux Brevets, que S. M. me fit expedier, l'un aux Affaires etrangeres, & l'autre a la Marine. Apres l'eloge le plus flatteur de mes Ouvrages, le primiere ajoute expreſſement = qu' ils ont engagè S. M. à me fixer en France par ſes bienfaits, de maniere que je puiſſe me livrer ſans diſtraction à l'attrait des meditations ſublimes, & a mon zele pour l' accroiſſement des Sciences = Le second me donne le titre de = Directeur d' optique au ſervice de la Marine pour perfectionner l'optique, & particuliermcnt la theorie des Lunettes acromatiques, dont la marine a beſoin pour les obſervatoires aſtronomiques, & pour le ſervice des vaiſſeaux =.

Digitized by Google

eſt moleſtias, ut hoc ſuum turbulentiſſimum tempus quoties conferebat cum tranquilliſſimo, quo ei frui in Etruria licuiſſet, dolere videretur, quod meis amantiſſimis conſiliis minime paruiſſet. Ipſa fortuna excitavit multorum invidiam: ejuſmodi etiam erant mores Rogerii, ut neſciret obſequio, patientia ac lenitate mollire adverſariorum animos; reſpuebat moroſius aliorum ineptias, ſuas extollebat, nimis ingenuo liberoque faſtidio quorumdam vitia deteſtabatur, minime noverat illum pervagatiſſimum verſum, qui vetat artem pudere proloqui, quam factites; omnino nimium loquax homo, nimium ſui diligens, perpetuus recitator ſuorum Latinorum carminum non factus videbatur ad artem, quae monet delicate & caute agendum cum iis praeſertim, qui inconſtantia, mobilitate levitateque gaudent, & ceteros homines prae ſe pene agreſtes putant. Habitabat Pariſiis apud Mirabojum, virum multis editis ſcriptis de Republica bene gerenda clarum, colebat aſtronomica ſtudia cum veteri amico ſuo Landio, & Meſſierio; erat saepe cum Saveroio, & quo magis ab his aliiſque ejus doctrina praedicabatur, eo magis exardeſcebat iracundia

eorum philoſophorum, qui Encyclopediſtae vocabantur, quibus intollerandum videbatur hominem Jeſuitam & alienigenam tantis praemiis affici, quae ipſi fruſtra poſtulaſſent. Horum quoque artibus factum eſt, ne ipſe in Regiam Scientiarum Academiam cooptaretur, cujus rei obtinendae magnam ſpem illi fecerant Aiguillionius & Millaboiſius. Creſcebat in dies ſingulos adverſariorum numerus, qui ne quidem artes, quibus magnus erat, Rogerio concedebant. Id magnopere valuit ad excitandam illius induſtriam, quantumque poſſet in optica, cujus perficiendae cura in primis illi mandata erat, multis ſcriptis confirmavit. Horum cauſſa magna illi fuit controverſia cum Rochonio & cum omnibus fere Academicis, qui ab illo ſtabant. Uterque enim dici volebat inventor micrometri priſmatici, & Rogerius, cujus jam nomen & honos inveteraverat & illi urbi & hominum famae & ſermonibus, doluit vehementiſſime perfidiam quorumdam, qui, ut ſuſpicionem & crimen furti facerent ad captandam Academicorum gratiam, non ſolum animum erga ſe, ſed & teſtimonium inverecunde mutarunt. Majore quidem opus erat vel ar-

te, vel diligentia, ne ab iis, quorum eminebat malitia, deciperetur, ſed in Boſcovichio nihil erat niſi ſimplex & ſincerum, & cum nihil celaret, eum neceſſe ſaepe fuit poenitere ſuae ingenuitatis. Praeter opticam magnopere de aſtronomia elaboravit, & quantum poſſet in ea, probaverat jam Academiae vel ab eo tempore, quo erat in Italia. Miſerat enim ad ipſam bina Latina opuſcula de ratione determinandi orbitam parabolicam cometae per tres obſervationes, quae non admodum magno locorum intervallo factae fuiſſent. Edita ipſa fuerunt ab Academia (1), ſed neceſſe fuit Rogerio eadem tueri apologia, noviſque argumentis prolata a ſe ſe confirmare. Quod non ſine corollario fuit. Nam cum in eadem re diu multumque haeſiſſet, geometriae atque aſtronomiae haud mediocriter conſuluit. Ampliavit poſtea methodum ſuam, quae locum tantummodo habebat in orbitis parabolicis,

(1) Vol. VI. des memoires envoyès par le Savans etrangeres.

etiam ad ellipticas, & opportuniſſimam eſſe oſtendit ad definiendas orbitas planetarum omnium per tres obſervationes non proximis, ſed diſtantibus in locis habitas. Nemo non videt, quod ſi optime procedunt quae ingenioſe excogitavit Boſcovichius, quantis calculis, quantiſque laboribus liberarentur aſtronomi, atque in omnibus hujusmodi rebus quid difficulter fieri, & quid facile fieri poſſit oportet conſiderare. Id ſpectavit ſemper in omnibus ſuis ſcriptis Rogerius, ſive mathematica, ſive aſtronomica tractaret; & cum ſaepe eveniat in geometria, ut commoditati ingenium ſit impedimento, ipſe ſic ſuum acuebat, ut inveniret quae vel minus exercitati in erudito pulvere mathematicorum aſſequi poſſent. Tantum vero valuit in aſtronomia, ut ex ejus inventis commentationibusque ad illam diſciplinam plurima commoda venerint, ac plures inflammaverit, e quibus extitit vir regia ſtirpe ortus, ad illam ex ſe addiſcendam. Atque ſi hoc loco comprehendere vellem narrationem omnium illarum rerum, in quibus elaboravit Rogerius, dum Pariſiis erat, nimium profecto fatigarem lectores. Earumdem indicem infra ſubjiciemus,

ex quo ſatis intelligi poterit, nulli fere optices, & aſtronomiae parti ipſum vacaſſe, quin quod voluerit conſecutus ſit. Porro ſunt adeo multa, ut ex iis quinque volumina confecerit edita Baſſani an. MDCCLXXXV. Nuncupavit haec Ludovico XVI. Gallorum Regi, a quo ſumma acceperat beneficia, & veniam obtinuerat redeundi ad Italos ſuos, eorumdem operum perficiendorum atque edendorum cauſſa. Ea propter, poſtquam per plures menſes Piſciae in Etruria commoratus eſſet apud amantiſſimum diſcipulum ſuum Franciſcum Puccinellium, Baſſanum conceſſit, ibique fuit biennium & amplius apud Remondinium typographum. Vulgatis operibus, rediit in Etruriam, cum illi hoſpitium praebuiſſent Monachi Vallumbroſani. Quoniam tum ſaepe eram cum ipſo, facile obtinui narrationem earum rerum, quae ad ejus vitam pertinebant, quibuſque uſus ſum in hoc concinnando commentariolo. Ex Etruria Mediolanum profectus eſt ea mente, ut commentaria ad recentiorem philoſophiam Latinis carminibus a Stajo explicatam jamdiu promiſſa abſolveret, & cum ipſa ederet. Haec cura magnopere illum tan-

gebat & propter praeſtantiam operis, & quod ei occaſionem dabat ſub uno veluti adſpectu ponendi quidquid diſperſum erat tot in ſcriptis ejus, quibus rem phyſicam & mathematicam illuſtraverat. Id magna ex parte, ut diximus, praeſtiterat, cum ſex immortalis operis libri Romae editi fuiſſent. Quatuor reſtabant alii, neque ii mediocris momenti. Continere enim debebant explicationem proprietatum omnium luminis, atque propterea opticae, catoptricae ac dioptricae elementa, & illuſtrem explanationem ſuae de philoſophia naturali theoriae. Jam tum, cum minime illi vagare licuiſſet, brevior fuiſſet illius oratio, & coanguſtaſſet ea, quae antea verboſe nimis, atque interdum prope faſtidioſe expoſuerat. Verum, quae meditabatur, ad exitum perducere minime potuit. Paucis enim poſt menſibus quam Mediolanum venerat, coepit morbo tentari, qui in ſtupiditatem primo, mox in dementiam & furorem abiit. Nemo ſane non lamentabatur tanti viri calamitatem, in quam & inciderant bini alii illius fratres, quaſi hoc nativum malum eſſet. Nec mediocre erat inſaniae indicium, quod timore perculſus vide-

batur, ne ſibi pecunia, qua abundabat, ſuppeteret ad vivendum, & ne ſatis famae ex editis ſcriptis collegiſſet. Cum vero redibat ad ſe ſe, illuſtria pietatis in Deum ſigna dabat; & ab homine, in quo nihil fuit unquam falſum & imitatione ſimulatum, veridicae mittebantur voces de humanarum rerum contemptu, ut angi videretur, quod omnem fere aetatem in doctrinarum ſtudiis contriviſſet. Quanquam, dum ſanus erat, multas ab iis, qui Caeſaris nomine ad Inſubriae gubernacula ſedebant, voluntatis erga ſe ſignificationes habuiſſet, laudis tamen cupiditas fecit, ut id doleret, quod ab iis minime in quibuſdam rebus publicis, quae ex mathematicorum ſententia gerendae erant, adhibitus eſſet; dolebat etiam quod opera ſua Baſſani edita haud multos invenirent emptores, quas aliaſque ob cauſſas adeo commotus dicitur, ut inſanire incoeperit. Sed hoc valetudinis magis, quam animi vitium erat, & cum ad cetera incommoda acceſſiſſet ut, peripneumonicus eſſet, vitam amiſit id. Febr. an. MDCCLXXXVII. Sepultus eſt cum pompa funeris in Aede, quae S. Mariae Pedonae dicitur. Laudatus publi-

ce fuit Raguſae a Bernardo Zamagna, cujus magnum nomen eſt in Latinis poetis. Guido vero Ferrarius, & Stephanus Morcellius titulos fecerunt, qui in ejus ſepulcro inſcriberentur, cum tam ingratam minime fore poſteritatem arbitrarentur, quin monumento tanti viri memoriam decoraret.

Digitized by Google

OPERA EDITA.

De maculis ſolaribus. Exercitatio aſtronomica habita in Collegio Romano. Typis Komarek. 1736.

De mercurii noviſſimo infra ſolem tranſitu. Diſſertatio habita in Seminario Romano. Romae typis Antonii de Rubeis 1737.

Conſtructio geometrica Trigonometriae ſphaericae: Romae typis Komarek 1737.

De Aurora Boreali, Diſſertatio habita in Seminario Romano. *Semel atque iterum edita Romae eſt an. 1738.*

De novo Teleſcopii uſu ad objecta caeleſtia determinanda. Diſſertatio habenda a PP. Soc. Jesu in Collegio Romano. Romae ex typographia Komarek 1739. *Integra edita fuit an. 1740. in Actis Lipſienſibus.*

De veterum argumentis pro telluris ſphaericitate; Diſſertatio habita in Seminario Romano S. J. Romae 1739. typis Antonii de Rubeis.

De Telluris figura, Diſſertatio habita in Seminario Romano, Romae 1739. typis Antonii de Rubeis. *Eadem impreſſa Lucae fuit an. 1744., ſed mendoſe.*

De circulis oſculatoribus, Diſſertatio habenda a PP. S. J. in Collegio Romano: Romae 1740. ex typographia Komarek.

De motu corporum projectorum in ſpatio non re-

ſiſtente, Diſſertatio habita in Seminario Romano S. J. Romae 1740. typis Ant. de Rubeis.

De natura & uſu infinitorum & infinite parvorum, Diſſertatio habita in Collegio Romano S. J. Romae 1740. typis Komarek.

De inaequalitate gravitatis in diverſis terrae locis, Diſſertatio habita in Seminario Romano S. J. Romae 1741. typis Ant. de Rubeis.

De annuis fixarum aberrationibus, Diſſertatio habita in Collegio Romano S. J. Romae 1742. typis Komarek.

De obſervationibus Aſtronomicis, & quo pertingat earundem certitudo, Diſſertatio habita in Seminario Rom. S. J. Romae 1742. typis Antonii de Rubeis.

Diſquiſitio in univerſam Aſtronomiam publicae diſputationi propoſita in Col. Rom. S. J. Romae 1742. typis Komarek.

Parere di tre matematici ſopra i danni che ſi ſono trovati nella cupola di S. Pietro ſul fine del 1742. dato per ordine di N. S. Bened. XIV. *Conjuncta opera hoc ſcriptum ediderunt Boſcovichius, Thomas Seurius, & Franciſcus Jaquierius*, qui anno poſt ediderunt quoque

Rifleſſioni de' PP. Tommaſo le Seur, Franceſco Jaquier dell' ordine de' Minimi e Ruggiero Giuſeppe Boſcovich della Comp. di Gesù ſopra alcune difficoltà ſpettanti i danni e riſarcimenti della Cupola di S. Pietro propoſte nella Congregazione

tenutaſi nel Quirinale a 20. Gennaro 1743. e ſopra alcune nuove iſpezioni fatte dopo la medeſima Congregazione.

De motu corporis attracti in centrum immobile viribus decreſcentibus in ratione diſtantiarum reciproca duplicata in ſpatiis non reſiſtentibus, Diſſertatio habita in Col. Rom. Romae 1743. typis Komarek. *Eadem prodiit* an. 1747. in Comment. Acad. Bononien. Tom. II. Part. III.

Nova methodus adhibendi phaſium obſervationes in eclipſibus lunaribus ad exercendam geometriam, & promovendam aſtronomiam, Diſſertatio habita in Col. Rom. Romae 1744. typis Komarek. *Eadem prodiit Lucae an. 1747., paucis quibusdam mutatis & additis.*

De viribus vivis, Diſſertatio habita in Col. Rom. S. J. Romae 1745. typis Komarek. *Integra relata quoque fuit* in Comment. Acad. Bononien. Tom. II. Part. III. *Alibi & recuſa fuit.*

De cometis, Diſſertatio habita a PP. S. J. in Col. Rom. Romae 1746. typis Komarek.

D'un antica villa ſcoperta ſul doſſo del Tuſcolo, e di alcune altre rarità, che ſi ſono tra le rovine della medeſima ritrovate. *Extant haec in ephemeridibus Litteratorum editis per Fratres Pallearinios Romae 1746.*

Dimoſtrazione facile di una principale proprietà delle ſezioni coniche, la quale non dipende da al-

tri teoremi conici, e diſegno di un nuovo metodo di trattare queſta dottrina. *Extat ibidem*.

Diſſertazione della tenuità della luce. *Extat ibidem an.* 1747.

Dimoſtrazione di un paſſo ſpettante all' angolo maſſimo e minimo dell' Iride, cavato dalla propoſizione IX. par. II. del libro dell' Ottica di Newton con altre rifleſſioni ſu quel capitolo. *Extat ibid.*

Metodo d' alzare un infinitinomio a qualunque potenza. *Extat ibid.*

Parte prima delle Rifleſſioni ſul metodo di alzare un infinitinomio a qualunque potenza, e par. II. *Extant ibid. an.* 1748.

Notae ad Carmina Caroli Noceti e S. J. de Iride & Aurora Boreali, Romae apud Palearinios 1747. *Ampliatio cujusdam problematis de boreali aurora, quod hoc loco ſolverat Boſcovichius, habetur in Diſſertatione quadam P. Lunardi S. J.*

De Aeſtu maris, Diſſertatio habita a PP. S. J. in Col. Rom. Romae 1747. Typis Komarek. *Hanc ſubſequi debebat Pars II., quae nunquam prodiit. De hac vide*: Expedit. Litterar. *&* Supplement. Philoſophiae Stajanae Tom. II.

De Lumine, Diſſertatio Pars I. & II. propugnata in Sem. Rom. S. J. 1748. *Illam alteram edidit de Rubeis, alteram Komarek*.

De materiae diviſibilitate & principiis corporum Diſſertatio. *Quanquam illam defendendam propoſuerit*

rit Auctor an. 1748. *ſerius tamen impreſſa fuit Lucae in collectione illa, cui titulus*: Memorie ſopra la Fiſica e Iſtoria Naturale di diverſi Valentuomini, in Lucca per lì Silani e Giuntini in 8. *In hac collectione extat etiam praeter alia Boſcovichii*,

Problema mechanicum de ſolido maximae attractionis cum ejus ſolutione.

Soluzione geometrica di un problema ſpettante l'ora delle alte e baſſe maree e ſuo confronto con una ſoluzione algebraica del medeſimo data dal Sig. Daniele Bernoulli. *Extat in ephemeridibus litteratorum Romanorum a Paleariniis editis* 1748.

Dialogi Paſtorali v. ſull'Aurora Boreale. *Extant ibid.*

Dimoſtrazione di un metodo dato dall'Eulero per dividere una frazione razionale in più frazioni più ſemplici con delle altre rifleſſioni ſulla ſteſſa materia. *Extat ibid.* 1749.

De determinanda orbita planetae ope Catoptricae ex datis vi, celeritate & directione motus in dato puncto; Exercitatio habita a PP. S. J. in Col. Rom. Romae 1749. typis komarek.

Sopra il turbine, che la notte tra gli 11. e 12. Giugno del 1749. danneggiò una gran parte di Roma, Diſſertazione del &c. Roma 1749. appreſſo Niccolò e Marco Pagliarini.

Lettera del P. Ruggiero Giuſeppe Boſcovich della Comp. di Gesù al Sig. Ab. Angelo Bandini in riſpoſta alla lettera del Sig. Erneſto Frexman ſopra

l'obeliſco d'Auguſto. *Extat in ephemeridibus ſupra memoratis an. 1750. De hac re alia & ſcripſit Boſcovichius ad eumdem Bandinium, quae hic retulit in opus, Romae editum, quod inſcripſit:* De obeliſco Caeſaris Auguſti e Campi Martii ruderibus nuper eruto.

De centro gravitatis, Diſſertatio habita in Collegio Rom. S. J. Romae 1751. typis Komarek. *Eadem aucta paullo poſt prodiit iterum cum titulo;* De centro gravitatis, Diſſertatio publice propugnata in Collegio Romano S. J. auctore &c. editio altera. Accedit Diſquiſitio in centrum magnitudinis, qua quaedam in ea Diſertatione propoſita, atque alia iis affinia demonſtrantur. Romae typis & ſumptibus Nicolai & Marci Palearini.

Elementorum matheſeos ad uſum ſtudioſae juventutis, Tom. I. Pars. I. complectens geometriam planam, arithmeticam vulgarem, geometriam ſolidorum, & trigonometriam cum planam, tum ſphaericam Pars. II. in qua algebrae elementa traduntur. Romae 1752. excudebat Generoſus Salomoni. *Biennio poſt, quamvis non iterum opus impreſſum fuerit, mutata eſt inſcriptio, eaque ſic habet.* Elementorum univerſae matheſeos Auctore &c. *& binis voluminibus adjectum eſt tertium cum hoc titulo.*

Tomus III. continens Sectionum Conicarum elementa nova quadam methodo concinnata, & Diſſertationem de Transformatione locorum geometrico-

rum, ubi de continuitatis lege, & de quibusdam infiniti myſteriis, Romae Typis Salomoni 1754. *Tria haec volumina iterum impreſſa Venetiis fuere an. 1758., ſed mendoſiſſime. Venantius Monaldinius cum an. 1745. Romae edidiſſet Elementa Geometriae Tacqueti addidit in illa Trigonometriam ſphaericam Boſcovichii, quae magis expolita prodiit in opere, de quo nunc dicimus. Addidit quoque ejuſdem* Tractatum de Cycloide & Logiſtica. *qui etiam ſeorſum impreſſus eſt.*

Lettere due ſopra alcune curve. *Extant in opere Jo. Baptiſtae Soardi edito Brixiae 1752. cum hoc titulo.* Novi inſtrumenti &c.

De Lunae atmosphaera, Diſſertatio habita a PP. S. J. in Col. Romano. Romae 1753. typis Generoſi Salomoni.

Oſſervazioni dell'ultimo paſſaggio di Mercurio ſotto il ſole ſeguito a'6. di Maggio 1753. fatte in Roma, e raccolte dal P. Ruggerio Boſcovich, con alcune rifleſſioni ſulle medeſime. *Extant in ephemeridibus Litteratorum Romanorum ejusdem anni.*

P. Rogerii Joſephi Boſcovich S. J. inter Arcades Numenii Anigrei Ecloga recitata in publico Arcadum conſeſſu primo ludorum Olympicorum die, quo die Michael Joſeph Moreius Generalis Arcadiae Cuſtos illuſtrium Poetarum Arcadum effigies formandas jaculorum ludo ſubſtituerat. Romae 1753. *cum ceteris carminibus, quae hac occaſione recitata fuerunt.*

Poema verſibus heroicis, dum effigies Stanislai Poloniae Regis in publico Arcadum coetu erigeretur, Auctore &c. Romae 1754. typis Salomoni. *Poema recuſum fuit Nancei cum verſione Gallica.*

De continuitatis lege, & conſectariis pertinentibus ad prima materiae elementa, eorumque vires, Diſsertatio habita a PP. S. J. in Col. Rom. Romae 1754. typis Generoſi Salomoni.

De lege virium in natura exiſtentium, Diſſertatio ec. 1755.

De lentibus & Teleſcopiis dioptricis, Diſertatio habita in Semin. Rom. Romae 1755. typis Ant. de Rubeis. *Poſtquam hujus diſſertationis pluria exemplaria in vulgus fuerant ſparſa, binae mutatae fuerunt paginae.*

De litteraria expeditione per Pontificiam ditionem ad dimetiendos duos meridiani gradus, & corrigendam mappam geographicam juſſu & auſpiciis Benedicti XIV. P. M. ſuſcepta a Patribus S. J. Chriſtophoro Maire & Rogerio Joſepho Boſcovich Romae 1755. in Typographio Palladis, excudebant Nicolaus & Marcus Palearini. *Si bina excipias opuſcula Mairii, omnia quae in hoc volumine continentur pertinent ad Boſcovichium. Mappa vero geographica ditionis Pontificae ex communibus obſervationibus confecta eſt. De hac litteraria expeditione miſit opuſculum ad Academiam Bononienſem, quod relatum fuit in Vol. IV. ejus Commentariorum.*

Adnotationes & ſupplementa ad philoſophiam recentiorem Benedicti Stay. Tom. I. Romae 1755. typis Nicolai & Marci Palearini. *Duae prodierunt ſimul editiones. Tomus vero II. prodiit an. 1760; & qui ſupererat Tomus III. prodire debebat Mediolani, cum omnia jam paraſſet Boſcovichius, quae ad illum pertinebant. Quae obſtiterint cauſſae, ne quod nuntiaverat, perficeret, diximus in fine hujus vitae.*

De inaequalitatibus, quas Saturnus & Jupiter ſibi mutuo videntur inducere, praeſertim circa tempus conjunctionis. Opuſculum ad Pariſienſem Accademiam tranſmiſſum, & nunc primum editum, Auctore &c. Romae 1757. ex typographia Generoſi Salomoni.

Pro Benedicto XIV. P. M. Soteria, *& aliud carmen de illo, quod ex periculoſa aegritudine emerſerat.* Romae 1751. typis Palearinis.

In nuptiis Jo. Corrarii & Andrianae Piſauriae e nobiliſſimis Venetae Reip. Senatoris familiis Carmen &c. Romae 1758. typis Palearinis. *Nimis longus eſſem ſi omnia minora Boſcovichii carmina recenſere vellem; quae aut ſeparatim, aut conjunctim cum aliorum carminibus edita fuere. Quanquam Latinam poeſim praeſertim excoleret, quaedam etiam Italica carmina condidit, & miraberis ſane tantum ſibi in poetica tribuiſſe, perinde ac ſi ab ea unice nominis immortalitatem ſperaſſet.*

Scritture d' acque per una controverſia della Chieſa di S. Agneſe di Roma. Roma 1757.

Philoſophiae naturalis theoria redacta ad unicam legem virium in natura exiſtentium, Auctore &c. Viennae in Auſtria 1758. *Paullo poſt editum iterum opus fuit in ipſa urbe. Quod in has editiones multa irrepſerant menda, tertio edendum opus ipſum, quo praeſertim gloriabatur, curavit Venetiis an. 1763. ex typographia Remondiniana.*

De Solis ac Lunae defectibus libri v. Rogerii Joſephi Boſcovich S. J. ad Regiam Societatem Londinenſem, Londini 1760. in 4. *ſine typographi nomine. Idem poema recuſum fuit Venetiis an. 1761. apud Zattam cum additamento in fine. Demum anno 1779. prodiit ipſum Poema Pariſiis in 4. cum hoc titulo.* Les eclipſes Poeme en ſix chants dediè a S. M. par M. l'Abbè Boſcovich, traduit en François par M. l'Abbé de Barruel. *Ipſa epiſtola dedicatoria verſibus ſcripta eſt. Idcirco vero auctum eſt opus ad ſex uſque libros, quod cum nimium excreviſſet ſecundi libri magnitudo ob additum illi epiſodium, in binos diviſus eſt.*

De recentibus compertis ad perficiendam Dioptricam. *Extat hoc opuſculum in Tom. v. Part. 1. Comment. Acad. Bononienſis. In 11. vero parte extat & aliud opuſculum.*

De unione colorum aliorum poſt alios per binas ſubſtantias, ac unione multo majore per tres.

Diſſertationes v. ad Dioptricam pertinentes. Viennae in Auſtria 1767.

Memorie ſulli cannocchiali Diottrici del P. Ruggiero Boſcovich. In Milano 1771.

Rifleſſioni ſulla relazione del Sig. Abate Ximenes appartenente al progetto di un nuovo Ozzeri ſullo ſtato Luccheſe dell' Abate Ruggerio Boſcovich. *Extant in opere, quod inſcribitur:* Piano di operazioni Idrauliche per ottenere la maſſima depresſione del lago di Seſto o ſia di Bientina. Lucca 1782.

Eſame del Progetto de' Sigg. Manfredi e Bertaglia in riguardo alle paludi Pontine, è porto di Terracina del Sig. Abate Ruggerio Boſcovich. *Extat in Vol. I. operis, cujus eſt titulus:* Raccolta delle perizie ed opuſcoli idraulici del Sig. Ab. Leonardo Ximenes: Firenze 1785. *Scripſit Boſcovichius alia plura ad aquarum ſcientiam pertinentia, cum ſaepe de iis conſuleretur.*

Giornale di un viaggio da Coſtantinopoli in Polonia dell' Ab. Ruggerio Giuſeppe Boſcovich con una ſua relazione delle rovine di Troja &c. Baſſano 1784.

Rogerii Joſephi Boſcovich opera pertinentia ad opticam & aſtronomiam maxima ex parte nova, & omnia hucuſque inedita in quinque Tom. diſtributa Ludovico XVI. Galliarum Regi Potentisſimo dicata; Baſſani 1785. apud Remondini in 4. *En opuſculorum index.*

TOMUS I.

Theoria teleſcopiorum, quae appellantur acromatica.

Opuſculum I. De conſtructione & uſu novi inſtrumenti maxime idonei ad determinandas vires re-

fractivas & diſtractiva ſubſtantiarum diaphanarum.

Opuſc. II. Deductio formularum pertinentium ad focos lentium cum earum applicatione ad calculandas ſphaericitates earum, quae adhiberi debent pro teleſcopiis acromaticis.

TOMUS II.

Theoria lentium ocularium cum additamento pro objectivis, Theoria Refractionum Aſtronomicarum, & alia ad Dioptricam pertinentia.

Opuſculum I. De correctionibus pertinentibus ad oculares, quibus accedit correctio erroris figurae ſphaericae objectivi conſtantis ex unico vitri genere.

Opuſculum II. De lente uſtoria potiſſimum ingenti.

Opuſculum III. De modo determinandi diſcrimen velocitatis, quam habet lumen, dum percurrit diverſa media, per duo teleſcopia dioptrica, alterum commune, alterum novi cujusdam generis.

Opuſculum IV. De novo genere micrometri objectivi.

Opuſc. V. D'une Lunette, qui donne deux images du même objet l'une directe & l'autre inverſe, avec deux mouvements contraires des objets mobiles.

Opuſc. VI. Lettre à M. Meſſier ſur ſon obſervation ſingulière des petits globules noirs, qu'il a vu monter obliquement ſur le diſque du Soleil.

Opuſc. VII. De refractionibus Aſtronomicis.

Opuſc. VIII Methodus determinandi refractiones aſtronomicas per obſervationes nonnullas cum obſervationibus ipſis & calculis.

Opuſc. IX. Methodus determinandi refractiones aſtronomicas ſine ulla alia ſuppoſitione phyſica praeter aequalitatem motus diurni fixarum intra revolutionem diei unius, ope inſtrumenti habentis maximam utilitatem generalem in Aſtronomia.

TOMUS III.

De orbitis Cometarum, ac novi planetae determinandis per obſervationes & theoriam.

Opuſc. I. De la détermination de l'orbite d'une Cométe ſuppoſée parabolique par trois obſervations peu éloignées entr'elles.

Mémoires corrélatifs.

I. . . . . Conſtruction plane de la Trigonométrie ſphérique.

II. . . . . . . De la manière de déterminer par une ſeule obſervation faite au rétour d'une Cométe connue ſa nouvelle route apparente.

III. . . . . Application de la méthode propoſée dans l'opuſcule pour l'orbite parabolique à la reecherche d'une elliptique, quand les obſervations bien éloignées ne s'accordent pas avec une même parabole.

IV. . . . . . Méthode pour diviſer en jours une ellipſe d'une planéte, ou Cométe par conſtruction.

V. . . , . Mémoire ſur les orbites des Comètes préſenté à l'Académie des Sciences le 28. Juin 1776.

VI. . . . Sur l'orbite d'une cométe, dont on a les obſervations dans les deux noeuds,

VII. . . . De Cometis diſſertatio habita in Collegio Romano Anno 1746

Seconde partie ſur la nouvelle planéte.

Opuſc. II. Recherches de l'Auteur avec la détermination finale de ſa Théorie.

I. . . . Des premiers eſſais ſur ſon orbite en la ſuppoſant une cométe.

II . . . De la détermination de ſon orbite en la ſuppoſant circulaire.

III. . . . De la détermination de ſon orbite ſuppoſée rectiligne dans un arc petit par rapport au total.

IV. . . . Recherche de l'orbite dans cette ſuppoſition par le temps & lieu de la conjonction avec le ſoleil & oppoſition ſuivante.

V. . . . Détermination de ſon orbite par quatre obſervations choiſies de différentes maniéres.

VI. . . . Méthode pour déterminer, & corriger l'effet de la courbure de l'arc & de l'inégalité du mouvement.

VII. . . . . Son orbite avec le temps périodique determiné par quatre obſervations d'un intervalle

moindre de deux ans après cette correction, bien conforme avec toutes les obſervations & aſſez approchante d'une tres-éloignée.

TOMUS IV.

De verificatione inſtrumentorum aſtronomicorum cum nonnullis eidem argumento affinibus.

I. . . De verificatione diviſionum quadrantis muralis.

II. . . De examine plani quadrantis ejuſdem.

III. . . De erroribus collocationis quadrantis muralis deprehendendis & corrigendis.

IV. . . . De verificatione puncti poſtremi ipſius quadrantis, quod indicat poſitionem teleſcopii horizontalem.

V. . . . De ſuſpenſione teleſcopii quadrantis muralis ope curvae aequilibrii.

VI. . . . De collocatione & verificatione ingentis quadrantis verticalis mobilis circa axem verticalem cum alidada, quae in ingenti circulo horizontali notet azimutha.

VII. . . . De determinandis & corrigendis erroribus axium in quadrantibus & ſextantibus.

VIII. . . . De verificatione diviſionum ſextantis.

IX. . . Problema pertinens ad eccentricitatem in circulo verticali, circa ejus axem horizontalem convertatur teleſcopium affixum alidadae.

X. . . . De quadam correctiuncula ſectorum aſtronomicorum.

XI. . . De rectificatione teleſcopii meridiani Gallice, inſtrument des paſſages.

XII. . . De erroribus lineae meridianae ita deprehendendis, ut obſervationes per eam inſtitutae corrigi poſſint.

XIII. . De determinanda linea meridiana una cum altitudine poli, & declinatione ſolis per tria extrema puncta umbrae gnomonis notata in plano quovis vel horizontali vel verticali.

XIV. . . De verificatione machinae parallacticae.

XV. . . Formules differentielles de Trigonometrie.

XVI. . . De rhombo micrometrico pro corrigendo effectu ejus poſitionis obliquae.

XVII. . . De errore inducto a refractione in uſu annuli aſtronomici applicati ad uſum Horologii ſolaris.

XVIII. . . De eodem argumento, methodo complicatiore, quae prima in mentem venerat.

TOMUS V.

Opuſcula varia vel aſtronomica vel iis correlativa.

I. . . . De diſparitione & apparitione annuli Saturni.

II. . . . Sur les éléments de la rotation du Soleil ſur ſon axe déterminé par l'obſervation de ſes taches.

III. . . . De determinatione longitudinis penduli oſcillantis ad ſingula ſecunda temporis medii.

IV.... Abrégé d'aſtronomie pour un Marin.

V.... Methodus determinandi accuratiſſime altitudinem poli ope gnomonis ſupplendo inſtrumenta ad id neceſſaria, ubi deſint.

VI.... Détermination du limbe éclairé de la lune qu'on doit attendre au méridien.

VII.... Méthode pour employer le rétour de Vénus à la même longitude par la rétrogradation, pour la détermination des éléments moins certains de ſon orbite.

VIII.... Méthode pour corriger les éléments d'une Cométe, dont on a la longitude du nœud & l'inclinaiſon de l'orbite trouvée par un à-peu-près.

IX.... Autre mèthode analogue pour le même objet, & même pour trouver l'orbite elliptique, quand la parabolique ne s'accorde pas aſſez avec les obſervations.

X.... Méthode pour corriger les éléments d'une planéte par trois obſervations.

XI....De orbitae inclinatae projectione in planum eclipticae.

XII.... De orbitae inclinatae projectione in aliud planum.

XIII.... De calculanda aberratione aſtrorum orta ex propagatione ſucceſſiva luminis.

XIV.... Démonſtrations ſimples de quelques beaux théorèmes appartenants. aux triangles.

Teoria del nuovo aſtro oſſervato prima in Inghilterra. *Extat in Vol. I.* delle memorie di Matematica e Fiſica della Società Italiana. Verona 1782.

FRANCISCO DANIELI
I. C. ET FERDINANDI IV. REGIS
HISTORICO
MICHAEL ARCHANGELUS LUPULUS
S. P.

Quantum tibi, Vir Cl. noſtra gens ſe debere profiteatur, vel ii omnes norunt, qui te vix nomine perſpectum habent. Enimvero tu, Franciſce Daniel, tu ferme unus ille es, qui ingenio atque eloquentia praeſtans eo unice ſtudia omnia atque labores intendis tuos, ut ejus gloria quam maxime floreat, ac longe apud exteros provehatur. Sane hujuſce rei luculentiſſima habeo teſtimonia, quae libenter proferrem, niſi de te id omnes uno ore praedicarent. Hoc tamen non praeteream, quod tuae induſtriae tantum vetuſtas debet, quam cui maxime; nam abſque te quot patria monumenta quaeſo non periiſſent? quot vetuſti aevi memoriae in dies non evaneſcerent? ecquam jacturae vim litterae non feciſſent? Tu vero, Vir Cl. qua animi contentione, quantoque labo-

re, quibuſque ſumptibus tot pulcherrima marmora jam jam fabrum aſciae ſubjecta ab nefariis eorum manibus non abſtuliſti? quot, quae in lucem jam prorepſerant, fundamentis implendis deſtinata, in tenebris aeternum conſepulta jacuiſſent, niſi per te vitam veluti ex naufragio nacta eſſent? Certe tua haec laus tamdiu vigebit, quamdiu ipſa monumenta ſunt perduratura; ipſique poſteri ab ipſis mutis lapidibus vivam tui nominis praedicationem accipient. Verum ad tuum illud in noſtrae nationis gloria promovenda ſtudium redeo. Per te factum eſt, ut tot viri illuſtres hac praeſertim aetate denati volitent vivi per ora hominum, namque, te potiſſimum adnitente, eorum fama veluti e tenebris educta ac vindicata eſt. Quod & facto meo ſatis abunde demonſtrare poſſum. Quum enim ante hos dies te conveniſſem, neſcio qui ſermo natus ſit de immortalis memoriae viro Franciſco Serao; multa tu de eo praedicabas atque ego viciſſim. Verum quum jam tibi ſuboluiſſet a me ejus vitam elucubratam fuiſſe, en tuarum querelarum occaſio cur tamdiu eam premerem. Sed quid? me mea-

que conſilia ſatis noſti! Tuus nihilominus ille in excitanda Neapolitanae gentis gloria ſtimulus te adduxit impulitque, ut eam tibi traderem, quo inter virorum doctrina praeſtantium vitas a celeberrimo Fabronio Academiae Piſanae Curatore conſcriptas locum haberet, quod feliciter tibi ceſſurum ajebas pro veteri ea, quae tibi cum ampliſſimo illo viro intercedebat neceſſitudine. At ego: tantumne tu, Cl. Daniel, adoleſcenti tribuis, ut opuſculum ejus dignum cenſeas, quod in eo opere, tanto cum plauſu ab univerſo litteratorum coetu excepto, prodeat? Tamen qui tibi non parebo, cui tantum debeo, quantum vix perſolvere valeam? Libenti igitur animo commentariolum hunc de vita Franciſci Serai tibi committo, ſed ea lege, modo erudita manu tua magis magiſque caſtigetur, deque illo, velut de re tua cautum velis. Tu interim, Vir Clariſſime, quidquid id eſt aequi bonique fac conſulas. Vale, meque ut facis ama ac tuere.

Neapoli prid. Nonas Sextiles MDCCLXXXVII.

FRAN-

Franciscus Seraus.

Ex praeſtantiſſimis viris, quos Campania Felix virtute ac doctrina inſignes tulit, unus profecto omnium maxime commendandus extitit Franciſcus Seraus, Italiae ſingulare lumen & ornamentum. Is IV. circiter ab urbe Averſa lapide in eo pago occidentem verſus, qui S. Cyprianus dicitur XI. Kalendas Octobres anni MDCCII. natales ex honeſtis ac piis parentibus ſortitus eſt, Paullo nempe Serao, & Hippolyta Furnia Averſana. Puer ingenii docilitatem, memoriaeque tenacitatem nactus, litteris adprime vacavit, gravitatis ac uſurae temporis ſupra aetatem amicus. Quo pueri ſciendi ardore excitatus pater doctrinis omnibus, quibus puerilis aetas impertiri ſolet, eum erudiendum impenſe curavit. Mox anno MDCCXIV. hortante patruo Antonio Serao, Neapolim deductus eſt, atque litterario in ludo apud Patres Societatis Jeſu non aequales tantum, verum etiam natu majores facile praci-

vit. Ludicris enim longe ſepoſitis, ſapientiae eo uſque inhiabat, ut nec ſodalium illecebris, nec urbis oblectamentis a ſuſcepto ſemel ſtudiorum curriculo abduceretur. Illud Quinctiliani; *ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit,* alta mente repoſtum tenens, Ciceronem tanti, quanti neminem alium faciebat. Ex cujus jucunda adſiduaque lectione non minus Latini ſermonis elegantiam, quam recte cogitandi, ratiocinandique doctrinam avidus hauriebat.

Porro Latinis Graeca conjunxit, in quae ſingulari, ultra quam credi poteſt, ſtudio incubuit. Verum nondum triennium elapſum fuerat, quum e vivis Paullus pater ſublatus eſt. Quo acerbiſſimo caſu a ſtudiis ſuis aliquantiſper avocatus eſt Seraus. Nam inopino illo fato contriſtata mater gravem incidit in morbum, extremumque clauſura erat diem, ni pro defuncto viro Franciſcum natum in ore conſpectuque ſuo haberet. Quare pietatis officio adductus hic fuit, ut ad proprios ſe lares referret, ibique diutius, quam vellet, detineretur. Ubi vero mater a luctus conſternatione ſe ſe erexit, e veſtigio Neapolim Franci-

ſcus remeavit, atque majore animi alacritate intermiſſa adripuit ſtudia. Interim, quum Mathematicae ac Philoſophicae provinciae velificari incoepiſſet, ſedulam utrique operam impendebat, majoremque erga ſe in diem apud aequales concitabat exiſtimationem. Atque inde profecto fuit, ut eum plerique condiſcipuli convenirent, ejuſque interiorem familiaritatem & conſuetudinem ambirent.

Emenſus anno MDCCXVII. rei Philoſophicae ſtadium, animi aliquantulum pendebat, juris ne ſcientiam, an medicam diſciplinam amplecteretur. At natura, quae in eo efformando totam ſe ſe impendiſſe viſa eſt, non ad politiores tantum litteras, verum etiam ad rem medicam nobilitandam eum delegerat. Itaque hanc ceteris praeoptavit, eique ſe ſe totum libenter addixit. Principio ad naturae abdita in humano corpore inquirenda, cadaverum diſſectionibus ſegniter vacavit, atque ex tricoſa partium conſtructione morborum praeludia, ſigna, progreſſus felicissime divinavit. Anatomicae ſcientiae Phyſiologiam, Chymicam, Botanicen, Pharmaceuticen comites adjunxit. Haec omnia triennio circiter adſequutus, Bla-

ſio de Puteo, qui tum non vulgari florebat exiſtimatione, ſe ſe tradidit, atque ejusdem methodum curandorum morborum obſervaturus noſocomia, aegrorumque domos ſimul circumire inſtituit. Verum, quum in Regio Archigymnaſio tunc temporis medicinam, quae vulgo *practica* audit, Nicolaus Cyrillus conſummatae peritiae medicus, domo Grunio, doceret, evenit ut Seraus, qui publicas Cyrilli praelectiones nunquam non audire paſſus eſt, ejus doctrina humanitateque maxime captus ſit. Hinc, miſſione ſingulari modeſtia a Blaſio de Puteo ſtatim impetrata, in Cyrilli fidem ſe ſe dedidit, quo facem praeferente, intima medicinae ſacraria facilius penetravit. Nihil interea de animi erga bonas artes ardore remiſit, quin potius auxit. Quum enim Cyrillus, cui ampliſſima erat bibliotheca lectiſſimis undequaque libris inſtructa, eorum libenter copiam Serao feciſſet, is opportunam hanc nactus occaſionem, haud ita facile dici poteſt, quanta animi aviditate, ſive humaniorum litterarum, ſive medicae artis auctores diu, noctuque voraverit. Inter ceteros Celſum unum veluti omnium facile principem maximi faciebat, nec

diem abire umquam ſivit, quin suaviſſimam aliquam Celſi particulam attigiſſet, ut profectò quemadmodum Cicero Terentium, ita Seraus Celſum *librum ſuum* identidem nominaret, nec in provecta etiam aetate ab illius lectione aut commendatione ceſſarit. Quapropter & adoleſcentibus omnibus in medicinae ſtudia ingressuris non ſemel atque iterum legendum propoſuit.

Ad haec Hiſtoriae etiam, & Geographiae, ceteriſque diſciplinis haud imparem impertivit operam. Quemadmodum enim in plantis atque herbis uſuvenit, ex quibus, quae benignioris ſunt naturae, ſalubriores e ſolo ſuccos ad coaleſcendum exſugunt, ita prorſus Serao accidit, ut quum ſingulari indole eſſet, meliora ipſe ſequeretur ſtudia; quibus ad miraculum inſtructus facillime ſe ſe in virorum ſapientia & auctoritate praepollentium familiaritatem inſinuavit. At vero Cyrillus, quum in dies cognoſceret adoleſcentem doctrina ac multiuga totius antiquitatis cognitione pollentem, omnem induſtriam ad rem medicam exornandam conferre, etum magis magiſque aeſtimare, ſuique pene loco nati habere coepit. Atque in-

de, ubi ipſe prae diurno laborum pondere negotiis quibuſque omnibus ſatis eſſe non poterat, ut medicis conſultationibus per ſe Seraus reſponſa daret, & voluit, & imperavit. Sed non heic reſtitit ejus cura, & ſtudium; otii quippe impatiens, & laboris amicus domi philoſophicum ac medicum ludum anno MDCCXXIII. aperuit, qua quidem in exercitatione ita ſe gnavum facilemque probavit, ut auditorum commodis unice intentus, & mira ſibi eos humanitate devinciret, & plana docendi methodo in penitiſſimos ſacratiſſimarum diſciplinarum ſenſus vel invitos deduceret. Quo fiebat, ut clarorum ea tempeſtate profeſſorum in ſe admirationem converterit; quorum etiam exhortationibus excitatus eſt, ut ad cathedram petendam more majorum accederet.

Ac ſane anno MDCCXXVII. publicis indictis candidatorum experimentis, ad primam medicinae theoreticae cathedram occupandam noſter, viceſimum quintum annum agens, graviſſimorum hominum, Phyſiologiae Cathedram petiturus, conſpectum judiciumque ſumma cum laude ſuſtinuit. Anno deinde MDCCXXXII.

in anatomicae cathedrae petitione iterum ingenii ſui, plaudente medica Republica, periculum fecit, eamque obtinuit. Demum inſequenti anno, nimirum MDCCXXXIII. ſecunda theoreticae medicinae cathedra ei cunctorum ſuffragiis, non ſine litteratorum gratulationibus, fuit decreta. Duobus vero hiſce annis binas ad Regii Archigymnaſii alumnos in ſolemni ſtudiorum anniverſaria inſtauratione elucubravit orationes, quarum alteram publice habuit, alteram non recitavit, quaeque, mandante Caeleſtino Galiano Archiepiſcopo Theſſalonicenſi, & ſtudiorum ampliſſimo moderatore, lucem adſpexere. Per eadem fere tempora medicas inſtitutiones conſcripſit, quas in juventutis commodum jampridem e penu ſuo elaborarat, omnigena eruditione, judiciique maturitate praeſtantiſſimas, quibus & medicas aliquot diatribas, & nonnulla alia ſubinde adjecerat. Heic interea Hippolytae matris mors ſequuta eſt, quam vivam inſigni pietate ipſe coluit, denatam deſiderare non deſtitit. Dolorem novus dolor excepit. Extremo enim autumno anni MDCCXXXIV. magno omnium luctu ac moerore Cyrillus, cui omnia noſter

ſerebat accepta, ingraveſcente cordis labe, ac interiora magis infeſtante, doloribus undique exacerbatus, Deo animam reddidit. Cujus tanti viri fato eo Serai animus vulnere percuſſus eſt, ut nunquam proceſſu temporis mitigari potuerit.

Haec quum ita ſe haberent an. MDCCXXXVII. Veſuvius, qui per ſeptem fere annos quieverat, incendio conflagravit, atque tanta fuit candentium ſaxorum, quam evomuit, copia, ut horrendum exhibuerit torrentem finitimis oppidulis Orientem ſpectantibus, exitium minitantem. Novum hoc inopinum portentum Caroli Regis, qui tribus ante annis Neapoli potitus fuerat, animum haud leviter perculit. Sapientiſſimus igitur Rex tantae rei cauſſam poſteritati commendare volens, Caeleſtino Galiano mandavit, ut eam Veſuvii conflagrationem ab Acadèmia adcurate deſcribendam curaret, (ea ſcilicet, quam is jampridem ex viris doctrina praeſtantiſſimis collegerat, cuique Cyrillum praefectum, Seraum a ſecretis pronuntiarat). Acerrimus is ingeniorum aeſtimator Galianus Serao ſtatim Regis nomine negotium demandat, qui in ſe onus recepit, ſta-

timque ea de re opus Italico adlaboravit idiomate, ac Regi de litteris benemerentiſſimo obtulit, qui tamen, ne pulcherrima haec Veſuviani incendii deſcriptio Italiae tantum finibus concluderetur, noſtro iterum praecepit, ut huic Latinam adjungeret verſionem, quod & pari cum concinnitate Seraus eſt exequutus. Quamobrem & ſapientiſſimi Regis gratiam, & ab univerſa litteraria republica quam maximos ſibi plauſus conciliavit. Opus enimvero, id eſt per ſe prorſus admirabile, quum quidquid eſt antiquitatis, & hiſtoriae, quidquid eſt elegantiae & eruditionis, in eo plane recondi videatur. Hoc unum tamen prae ceteris hic monendum duco, Gallos nimirum, tanti operis pretium expertos, Pariſiis edendum curaſſe. Interea, quum ſecundae medicinae *practicae* cathedrae praefectus anno MDCCXL. chronico morbo fuiſſet correptus, ſtudiorum ſtatim moderator in Seraum cogitationem intendit, ac illum ad ſuſtinendas infirmi vices ſuffecit; quo e vivis anno MDCCXLIII. ſublato, eam nemine contradicente, eſt conſequutus.

Praeterea anno MDCCXXXVIII., quum Xanctulus Cyrillus medica Nicolai Cyrilli conſilia

praelo dare conſtituiſſet, noſter maxima in ſe a Cyrillo conlata beneficia memori recondens animo, iis diſertiſſime praefatus eſt, vitamque, quam multo ante pertexuerat, adpoſuit. Neque hanc extremam in praeceptorem fuiſſe Serai curam atque amorem ex his, quae ſequuntur, apertiſſime dignoſci poteſt. Cyrillus ante annum MDCCXXVIII. Michaelis Ettmulleri opera medica pluribus illuſtrationibus atque additamentis, in quibus plurima Ettmulleri probata ab eo ſunt, ac nonnulla rejecta, ditaverat. Rem adeo aequam Michael Erneſtus Ettmullerus, Ettmulleri ſenioris filius adeo iniquo animo tulit, ut Neapolitanum atque egregium medicum cenſura conviciorum plena, quam & actis Lipſienſibus anno MDCCXXXI. inſerendam voluit, impetere non dubitarit. Cyrillus, re cognita, apologeticam reſponſionem ſtatim ad Ettmulleri filii conatus comprimendos inſtruxit, qua & ab illius ſe expedire objectis, & ſuos clarius ſtuduit ſenſus aperire. Verum haec actis ſuis Lipſienſes vel rogati a Cyrillo inferre recuſarunt; adſpexit tamen lucem Genevae, extatque in tom. XVIII. Bibliothecae Italicae. Sed ad Seraum redeo.

Hoc eodem anno Ettmullerus F. & triennio poſt Cyrillus fato intercipiuntur. Univerſa lis, utriuſque ſequuta morte, fere omnibus extincta videbatur, quum Cyrilli obitu audaciores quodammodo facti Lipſienſes, tamquam ſuccenturiati milites pugnam redintegrarunt, neminem ſperantes ſecum poſtea congreſſurum. Sed praeter expectationem res evenit. Seraus enim quum Romae apud Leprottum diverteret, renovatam audiens Lipſienſium pugnam, eo animum adjecit, ut Cyrillum a criminationibus purgaret, iiſque vindicias omni ex parte munitas perfecteque elaboratas opponeret. In his certe communi omnium ſententia talem ſe praeſtitit Seraus, ut eruditionem & ingenium, in primis vero felicem quamdam ſcribendi gravitatem omnibus, vel ipſis etiam oblatrantibus Lipſienſibus probaverit. Excuſae poſtea hae ſunt in calce conſiliorum medicorum ejuſdem Cyrilli. Ex his igitur unuſquiſque videat Seraum Cyrillo tantum tribuiſſe, ut ne plura quidem a filio proficiſci potuiſſent.

Anno poſtea MDCCXLII. VIII. Kalendas Februarias, quum a Rege Carolo ſclopi ictu

aper cecidiſſet, maxima omnium admiratione; ſex amplius ſupra quingentos tenelli ac pellucidi globuli turbidulam aquam recludentes ex imo ventre III. Kal. Febr. ejuſdem anni foras eruperunt. Res nova Carolum Regem naturalis hiſtoriae amantiſſimum movit, ut a Serao, cujus ingenium jam ſatis in Veſuviana deſcriptione perſpexerat, obſervationes ea de re nova flagitaret. E veſtigio in hoc argumentum diatribam noſter conſcripſit, quae Romanis etiam typis anno MDCCXLV. in litteraria ephemeride Paleariniana excuſa fuit. Tum eodem anno Mahmudus Turcarum Imperator Regem Carolum elephanto in officioſae, nec vulgaris amicitiae argumentum donatum voluit. Monſtroſae etiam hujus belluae deſcriptionem Rex cudendam eſſe juſſit. Verum antequam noſter eam evulgaret (evulgavit enim eodem anno typis Regiis) vir quidam non inglorius, fortaſſe ut noſtro palmam hanc litterariam praeriperet, praematuram elephanti deſcriptionem e penu ſuo feſtinavit, ediditque. At quum virtus neque eripi, neque ſurripi poſſit, contra votum res cecidit. Seraus enim, licet naturae ad iracundiam minime pro-

clivis, ſubiratus tamen eſt, ac manus ad elucubrandum apologeticum libellum extemplo admovit; at tanto is fuit plauſu exceptus, ut jure merito laudes in urbe, atque ubique locorum ingentes exegerit. Verum hic Serai Aiax contra omnium expectationem in ſpongiam incidit. Franciſcum enim, magna hujuſce opellae parte abſoluta, quominus eam conſummaret, Hieronymus Frater, Averſae Canonicus doctrina ac pietate ſpectatiſſimus detinuit, cui & noſter praeter fraternam conjunctionem multum debebat, cujuſque enixe operam apud Fratrem, vir ille imminens famae ſuae periculum veritus, implorarat. Sane ſi non aliud Serai monumentum extaret, vel hoc unum, licet mutilum, ſatis eſſet, quo omnibus verſatile ejus ingenium vaſtaque eruditio innoteſceret. Mirum enimvero eſt, rem tam exigui argumenti a noſtro tam granditer pertractatam. Neque ſilere heic audeo Joannis Baptiſtae Morgagnii Medici celeberrimi de hoc opuſculo teſtimonium. Maxima apud noſtrum is familiaritate utebatur, & uti inter amicos uſuvenit, Seraus, ut ſtatim Morgagnio liber perveniret, effecit. Imperfectionis

cauſſam ex amici epiſtola ſenſit Vir. cl. vixque ejus lectionem ſuſcipit, quum ſubito in graviſſimorum hominum conſeſſu in haec prorupit: *En Neapolitanorum gloria! hem quanta eruditio in una & altera chartula!* tantaque protinus excanduit ira, quod finem liber non viderit, ut pileum, quem capite geſtabat, iratus longe projecerit. Nova hac cura expeditus Seraus in novam incidit curam. Hoc enim eodem anno trinas de Appulo phalange lectiones conſcripſit, quae Galiano jubente, publici juris factae novam Auctori acceſſionem gloriae conciliarunt. His ſucceſſit anno MDCCXLIV. anatomica leonis deſcriptio, qui pridem Kal. Februariis ejusdem anni in Regio leporario obiit, quam Regio juſſu elaboravit.

Quam plurima alia etiam ſcripſit, ex quibus anno MDCCXXXIX. epiſtolam ad clariſſimum virum de re litteraria publica benemerentiſſimum Alexium Symmachum Mazochium, quae in calce Mazochiani operis de dedicatione ſub aſcia hodie proſtat. Eodem anno, rogante Marco Poleno, diligentiſſimo antiquitatum perſcrutatore, atque mathematico nemini ſecundo, commentariolum confecit de rebus A-

lexii Symmachi Mazochii, qui per id temporis quartum ſupra quinquageſimum aetátis annum agebat. Quamvis vero mutilum illud ſit (Seraus quippe curis, nec parvis, diſtentus quae ſupererant deſcribere non potuit) praecellentiſſimi tamen ejus ingenii vis in re tantula mirum quantum adfulget. His abſolutis, quum Antonius Leprottus Benedicti XIV. medicus cubicularius anno MDCCXLIV. Seraum de peſtis contagione arcenda conſuluiſſet, noſter ad epiſtolam huic dandam ſe ſe convertit, in qua ſtylum praecipue acuit in Chicoyneaum, cujus ſcripta paullo ante Archiepiſcopus Galianus ei legenda tradiderat, *orationem* nempe *Academicam* Latinam, *qua communis de contagio peſtilenti opinio refellitur,* quam anno MDCCXXII. Chicoyneaus edidit, & *obſervationes* aliquot *genericas de peſtis contagio una cum obſervationibus, quibus remedia indigitantur* praeſervationis a peſte, quae poſtrema Gallico ſcripta fuerat idiomate. Anno dein MDCCLII. a Joanne Bruno medico Melitenſi de tabifica contagione prohibenda ſententiam rogatus, ei quantocyus ac eruditiſſime reſpondit. Scripſit etiam anno MDCCLV. schediaſma de

ſuffocatis ad vitam revocandis. Haec vero omnia ſimul collecta extant in opuſculis, quae anno MDCCLXVI. Agnelli Lupuli patrui mei deſideratiſſimi cura & ſtudio excuſa fuere. Quamplurima alia is pro re nata confecit, quae tum ſeneſcentis aetatis cauſſa, tum quod pleraque forte fortuna interciderant, lucem intuita non ſunt. Inſcriptionum praeſertim ingens extat numerus, quas inter praecipue numerantur Coenotaphium Michaelis Archangeli Patricellii mei avunculi magni, Averſae Canonici Archidiaconi, idque Fractae legitur in gentilitio ſacello; & inſcriptio pro Agnello Vaxallo noſtri amiciſſimo. Carmina quoque diverſis temporibus diverſa ſcripſit, quae utinam luce donarentur commodo praeſertim hujuſmodi cupediarum amatorum. Epiſtolas inſuper Latinas frequentiſſimas dedit ad viros praeclarisſimos Alexium Symmachum Mazochium, & Michaelem Archangelum Patricellium, quarum haud paucae in meis cuſtodiuntur adverſariis.

Ad tredecim pene annos ſecundam medicinae *practicae* cathedram occuparat Seraus, quum ecce anno MDCCLIII. primaria vacat. Et quum Regis aequiſſimi decreto conſuetae peti-

tio-

tioni eſſet publice expoſita, quod ejus inſtitutum, vitaeque rationes ab ineunte aetate ſuſceptae poſtulare videbantur, ad eam petendam animum adpulit, cui proximis ejusdem anni comitiis quam maximo exterorum aeque ac Neapolitanorum plauſu LI. annum agens addicitur. His ita ſe habentibus an. MDCCLVI. Nicolettam Zaccharelliam viduam honeſto loco natam ſibi nupſit, ex qua haud degenerem habuit filiam, cui matris memor Hippolytae nomen indidit, quam perſancte educavit, & Franciſco Antonio Roſſi I. C. in matrimonium collocavit. Interea, curis magis magiſque ingraveſcentibus, a cathedra ſe abſtinuit; ne tamen ſubſecivi temporis horas, quas ex curis prope ſuffurabatur, deperderet, doctiſſiſſimas Joannis Pringli medici Angli obſervationes de caſtrenſibus morbis anno MDCCLVII. e Britannico in patrium vertit ſermonem. Atque hic novus Serai labor non parvo quidem univerſae medicorum genti emolumento fuit. Qui enim antehac Britannici ſermonis ignorantia ab earum lectione abſterrebantur, eas exinde terere ac prae manibus ſemper habere coeperunt. Quid quod in lucem vix opus emiſſum

tantam Serao ſamam per univerſam pene Europam conciliavit, ut immortalitati ſuum ſatis commendarit nomen. Ea enimvero facie Pringlii observationes ornavit Seraus, ut nonnisi a se elucubratae viderentur. Praeterea quum celeberrimus doctor Maclnlans ex Italia Angliam reverſus, eruditiſſimo Pringlio obſervationes de caſtrenſibus morbis a Serao Italo ſermone donatas obtuliſſet, tanto affectus eſt gaudio Pringlius, ut in grati ſui animi teſtimonium epiſtolam ad noſtrum dare quantocyus feſtinaverit. In qua quidem Pringlius non ſolum ſe ei obſtrictum profeſſus eſt ob mirificas eas laudes, quibus noſter in praefatione obſervationibus praefixa opus extulit, verum etiam adſeruit, quod ſi prius verſio iſthaec in ſuas perveniſſet manus, quam tertia Anglica prodiiſſet editio, uſus profecto fuiſſet additionibus, quas noſter duabus recluſit adnotationibus. Mox ſequenti anno, nempe MDCCLVIII. Reginae noſtrae Carolinae Auſtriacae FERDINANDI REGIS Uxoris medicus creatur. Quam ornamenti adeptionem magno omnium fere ordinum plauſu accepit. Gratulatoriam autem elegantem inſcriptionem eidem tum obtulit

ab amicis omnibus. Vincentius Lupulus frater patruelis Patris mei. Quod gratum amicitiae teſtimonium ipſemet libenter excepit, probavitque. Deinde anno MDCCLXXVIII. FERDINANDI IV. REGIS PII AUGUSTI FELICIS medicus intimus, totiuſque Regni Archiater eſt renuntiatus.

Ultra Pringliani operis verſionem nihil amplius a noſtro eſt conſequutus orbis litterarius. Ex iis vero, quae hactenus de eo dicta ſunt, vel cuivis intelligere datur, Seraum a natura ingenium verſatile, vel prope divinum ſortitum eſſe; cuicumque enim rei manus admovebat, ea quidem dexteritate atque ſolertia tractabat, ut nonniſi huic unice vacaſſe videretur, id quod locupletissime teſtantur varia ejus opera, quae a praeſtantiſſimo quoque in eo genere elaborata videntur. Nam ſaepiſſime, re poſtulante, ſtylos pro materiae varietate, ea mutavit ſedulitate, ut ejus opera vix ejusdem auctoris crederentur partus. Ad haec ſumma erat inſtructus eruditione, qua potiſſimum apud omnes commendabatur; atque inde accidit, ut nunquam familiariter, niſi erudite etiam, loqueretur, quod

Digitized by Google

quidem etiam, ſeneſcente aetate, in noſtro fuit perſpectum. Praeterea, temporis ad poſtremum uſque vitae actum quam maxima apud noſtrum aeſtimatio erat. Illud enim Senecae effatum prae oculis ſemper habuit: *quaedam tempora eripiuntur nobis, quaedam ſubducuntur, quaedam effluunt. Turpiſſima tamen eſt jactura, quae per negligentiam venit*. Quapropter noſter meditationi ſemper, vel ſcriptitationi intentus, nullam niſi perbrevem ad relaxandum animum quietem ſibi indulſit. Summo mane ſurgere in more habebat, matutini temporis quam maxime parcus; nec multum temporis, ſenex licet, ſomno tribuebat. Immo ab Agnello Lupulo patruo me audiiſſe memini, quod quum is Seraum familiariter monuiſſet, ut tandem ſenex a laboribus abſtineret, is cum Diogene reſpondit: *Quid? ſi in ſtadio currerem, oporteretne me jam vicinum metae curſum remittere, an non potius intendere?*

In artis medicae profeſſione quantum auctoritatis ſupra ceteros ſibi conciliarit, vel inde poteſt intelligi, quod quocumque vocatus acceſſiſſet, tum aegroti familiam, tum decum-

Digitized by Google

bentem ipſum ad bene ſperandum ſola ſua praeſentia erigeret. Ergo ubi ad aegroti cubiculum ventum erat, ex adverſo adſidens hominem quam amiciſſime ſalutabat, tum ſermone ex induſtria injecto, cum eo verba commutabat, quo tempore ipſe frontem, vultum, oculos, loquendi tonum, reſpirandique rationem quam adcuratiſſime obſervabat: ex qua obſervatione adhibita certiorem ſe, quam ex pertentato pulſu, de aegroti ſtatu capere conjecturam dicere ſolebat. Tum, collectis unde unde ex artis praeſcripto indiciis, animum aegrotantis recreare ſatagens, quae erant ſperandae ſalutis argumenta, ſuaviter ac diſerte oſtentabat, tantaque id vi, gratia ac vultus conſtantia praeſtabat, ut protinus aeger ex ipſa oratione excitatus, melius ſe tunc, quam paullo ante agere diceret. Ac vere quidam ſuus amicus interioris notae, quum exeunte autumno anni MDCCLXXXII. acuto, difficillimoque morbo correptus, ac plane deſperatus decumberet, ad Seraum ſuum de ſe bene ſperantem intendiſſet oculos animumque, paullulum erigens ex pulvinari caput Ovidianum illud uſurpavit:

Hujus ab alloquiis anima haec moribunda revixit,
Ut vigil infuſa Pallade flamma ſolet.

In praeſcribendis vero remediis adeo parcus fuit, ut nunquam non ipſi adſtantes admirati ſint, cujuſque rei rationem rogatus, eam adfirmavit primam eſſe medici curam, eamque ſecundam, tertiam, & quartam, ut niſi proficeret, ſaltem non noceret. Et enimvero quanti univerſa pene Europa noſtrum fecerit vel ex eo conjicere quisquis poteſt, quod ex clariſſimis, qui ex remota quaque urbe Neapolim adibant, medicis, philoſophis, eruditis, nullus umquam Seraum videre, cognoſcere atque adloqui praetermiſerit. Quibus porro noſtrum videre non licuit, epiſtolis ſemper illum colere quam maximè delectabantur. Ad haec egenorum miſeratione etiam inclaruit, quorum indigentiae, quantum fieri poterat, ſe ſe adcommodare numquam non ſtuduit. Hos enim medicinae cauſſa arcerſitus, ſemper artis praeſidio, quandoque etiam rei ſuae familiaris levamento juvabat.

Ut vero artis medicae peritia ac politioribus litteris nemini umquam ceſſit, ita & morum honeſtate. Ingenti enim erat inſtructus prudentia, quam diuturno litterarum cultu ac experientia non parum acuerat. Conſtantiae ; ſupra quam credi poteſt, cultor. Enimvero numquam alicujus gratia vel metu propoſiti excuſſit tenacitatem. Humanitatem inſuper, manſuetudinem, atque ſuavitatem adeo cum gravitate temperavit, ut ab omnibus amorem & veluti quamdam reverentiam exegerit. De vigilantia ac laborum perferentia nihil ultra. Non exiguae revera admirationis eſt, noſtrum graviſſimis immerſum curis quamplurima elucubraſſe opera; eruditionibus haud quidem vulgaribus inſtruſta. De alacritate ac celeritate nihil hic; ſatis enim per ſe meridiana luce clarius patet, Seraum labores ſuos ante perfeciſſe, quam cuiquam ſuboluiſſe. Pietatem vero ac Religionem, qua a prima uſque aetate fuit imbutus, mira ſemper, ad extremum uſque vitae actum, modeſtia ac cultu reveritus eſt. Liberalitate etiam non in amicos tantum, quos ad menſam libenter adhibere moris erat, ſed & in egenos mirifice uſus

uſus eſt. Diſcipulos non tantum dilexit, verum & amavit, quos permultos habuit, doctrina ac virtute praeſtantes, quos heic adducere tum eſſet longum, tum & odioſum, ſi quem fortaſſe invitus praeteream. Illud tamen dicere ſat eſt, horum quam plurimos in medicina facienda praeſtantiſſimos extitiſſe, pleroſque in Regia ſtudiorum Academia profeſſores.

Miti porro noſter erat natura, ad iracundiam minime proclivi, vultu ſereno, atque gravi, ſermone perquam jucundo. Elegans non magnificus, ſplendidus non ſumptuoſus. Comis inſuper non ſine ſeveritate fuit, nec ſine facilitate gravis. Gloriae, niſi cum honeſtate conjunctae numquam ſe cupidum praebuit. Contentionum inimicus fuit, & ſi forte aliquando cujuſve diſceptationis arbiter eſſet vocatus, quin cuiquam injuriam vel minimam inferret, vel ultro onus renuntiavit, vel diſcrepantes animos ſingulari quidem prudentia lenire conatus eſt. Res omnibus quidem anno MDCCXLVIII. patefacta eſt. Lutetiae Pariſiorum lis eo anno ſuborta erat de medicorum, & chirurgorum dignitate, eoque pro-

ceſſerat, ut magiſtratuum, Regiſque ipſius ſacratiſſimi curam providentiamque excitarint. Chirurgi quippe medicae facultatis auctoritatem renuerunt, medicorum jura ac praeſcripta contemptui habuere, nec paſſi ſunt, eos candidatorum ſuorum judices ſedere. Quamobrem medici, quum quamplurimis argumentis ex unanimi gentium conſenſu deductis ad tam novos & exitioſos chirurgorum auſus refraenandos haud valuiſſent, illud reliquum fuit, ut ad noſtram medicam facultatem, ceteraſque Europae Academias recurrerent. En igitur anno MDCCXLVIII. pridie idus Decembres ad Neapolitanam facultatem S. B. I. Martinenyus ſaluberrimae facultatis Pariſienſis decanus epiſtolam dedit, in qua eruditiſſimos noſtrae facultatis medicos rogavit, ut univerſae contentionis articulis reſponderent. Martinenyi epiſtolae Seraus cunctorum nomine an. MDCCXLIX. XIV. Kal. Majas adcurate reſcripſit (1), rem

(1) Hujuſce epiſtolae autographum penes me eſt una cum Martinenyi litteris.

Digitized by Google

omnem aperit, ita tamen, ut ejus animo praeſixum videatur medicorum & chirurgorum Pariſienſium animos lenire ac demulcere. Ajebat enim noſter poſtremo loco, „ nihil hic de ea „ re legibus ſcriptis traditum, aut praeſtitutum „ eſſe: ſed omnia paſſim inter medicos chirur- „ goſque modeſtia, obſervantiaque mutua, quae „ viros graves, artem difficillimam graviſſimam- „ que profitentes, maxime decet, tranſigi „. Sicque unius Serai reſcripto tota illa diſſenſio disjecta eſt.

Nunquam niſi bene de quoque loquebatur, obtrectationis quam maxime inimicus: Cunctis ſe comem atque humanum praebuit. Quocirca quamplurimos Neapoli amicos; eoſque doctiſſimos habuit; quos inter praecipuum locum obtinent Alexius Symmachus Mazochius Campanus, Regius S. Scripturae interpres, ac Neapolitanae Metropolitanae Eccleſiae Canonicus, & Michael Archangelus Patricellius avunculus meus magnus; Averſae Canonicus Archidiaconus, ejuſque Seminarii moderator, qui quum Serao adhuc adoleſcenti virtutis ſemitas commonſtraſſet, in ejus venit arctiſſimam familiaritatem: Ejus familiares et-

iam fuerunt Nicolaus Capaſſus Regius Pandectarum doctor, Joſephus Boncorius linguae Graecae callentiſſimus, & Ignatius Calcius in Regio item Archigymnaſio linguae Hebraicae profeſſor. Noſtri inſuper familiariſſimus fuit Nicolaus Ignarra in Regia ſtudiorum Academia S. Scripturae interpres, & Sereniſſimi noſtri Principis Hereditarii praeceptor. His adnectendi ſunt ambo Martini, Nicolaus nempe & Petrus, Felix Sabatellius, aliique permulti litterati viri. Carus ei praeterea fuit Agnellus Vaxallus, Hieronymi F. atque hoc quoque ſit Serai bonitatis exemplum, quod cum eo, quem puerum in litterario ludo cognoverat, adeo conjuncte vixit, ut nonniſi Vaxalli morte eorum exciderit amicitia. Intime etiam uſus eſt noſter Agnello Lupulo patruo meo deſiderantiſſimo, de medicina nihil quidquam male merito, quem ſi dicam filii pene locum apud Seraum obtinuiſſe, non dubito adſtipulatores habiturum quamplurimos. Atque haec quidem Neapoli. Exterorum etiam litteratorum amicitia maxime floruit. Ejus enim fama, quum longe percrebuiſſet, quamplurimos ſpectatiſſimae ſapientiae exteros in ſui

admirationem concitavit, quorum profecto genere ſunt eruditiſſimus Joannes Baptiſta Morgagnius, domo Foro Livio, anatomes Bononiae Profeſſor, ac medicinae demum Patavii. Celeberrimus Gerardus Vanswietenius, magni Boerhavii auditor, atque Franciſci I. Auguſti Imperatoris, & Mariae Thereſiae Auguſtae Imperatricis Archiater. Albertus Hallerus natione Helvetius, Boerhavii ac Bernoullii auditor, Regiae Cottingiae ſocietatis, & Academiarum Londinenſis, Pariſienſis, Berolinenſis, atque Bononienſis Socius. Ludovicus Antonius Muratorius, vir rei litterariae publicae bono natus, Mutinenſium Ducis Bibliothecae praefectus. Antonius Cocchius domo Mucello, anatomes & medicinae profeſſor, & Magni Etruſcorum Ducis antiquarius. Joannes Pringlius, natione Britannicus. Antonius Storchius, Swietenii alumnus, Imperatoris, & Imperatricis Archiater. Antonius Leprottus Benedicti XIV. P. M. Archiater. Auguſtus Tiſſotus medicinae Agathopoli profeſſor. Auguſtinus Giuffrida ex Archiatris Catanenſibus, & ſupremae philoſophicae cathedrae profeſſor.

Digitized by Google

At haec uſque ad annum MDCCLXXXIII. obtinuere, quamdiu nimirum Seraus inter nos fuit. Verum ſenio jam prope confectus, ac aſſiduis debilitatus laboribus fractarum tandem virium conqueri incoepit. Neque haec ad praenuntianda ejus fata ſuffeciſſent, niſi ſuperveniens immane rheuma, ut ejus ſalus in novaculae acie palpitaret, effeciſſet. Et quidem brevi temporis ſpatio, ingraveſcente faucium morbo (qui quidem ei toto vitae curriculo familiaris fuit) nulla ſalutis amplius ſpes, maxima omnium contriſtatione, adfulgebat. Quandoquidem faucibus undequaque inflammatis, quum ne vix quidem deglutire facultas eſſet, poſtremis Eccleſiae Sacramentis rite ſuſceptis, vitam hanc aerumnoſiſſimam cum immortali commutavit nonis Auguſti anni MDCCLXXXIII. Univerſo porro Academicorum coetu, atque Regii Gymnaſii profeſſorum, proſequentibus etiam amicis, elatus eſt, corpuſque in templo Montis Virginis, eodemque hypogeo, quo optimus ejus amicus Agnellus Vaxallus illatus, conditum fuit; ubi Hieronymus Vaxallus ex Agnelli fratre filius hanc e regione tituli ſepulcralis patrui ſui Agnelli epigraphen poſuit.

Digitized by Google

FRANCISCO . SERAO
IN. ACAD. NEAP. MEDICINAE . PROFESSORI .
PRIMAR
REGIS . NOSTRI . REGNIQ. ARCHIATRO
PHILOSOPHO . AC . PHILOLOGO
APVD . EXTERAS . ETIAM . NATIONES
PERCELEBRI
VIRO . PROBO . SEDVLO . OBSEQVENTI
ET . AMICITIAE . CVLTORI . DILIGENTISSIMO
QVEM . HIERONYMVS . VAXALLVS
ORDINIS . POPVLIQ. NEAP. A . SECRETIS
NE . AB. AGNELLO . PATRVO . SVO
DISSOCIARETVR
HEIC . IN . EODEM . HYPOGEO . COMPOSVIT
ARBITRIO . TVMVLI . SIBI . AB . HIPPOLYTA
FILIA . VNICA . MAERENTISSIMA . PERMISSO
VIXIT. ANN. LXXX. MENS . X. DIES . XV.
DECESSIT . NON. AVG. ANN. CIƆIƆCCLXXXIII.
QVIESCITE . PAR . NOBILE . AMICORVM
QVANTVM . AMICITIAE . SIT . DEFERENDVM
POSTERITATI . EXEMPLO . FVTVRI

Sit vero. hujuſce commentarioli finis perelegans illud carmen, quod ſub imagine Franciſci Serai Nicolaus Ignarra ſcripſit:

Digitized by Google

Atticus. hic. ſodes. an. Laelius. anne. Seraus
Qui. fide. amicitia. &. gratia. utrumque. refert
Amicorum. optimo. Nicolaus. Ignarra

OPERA EDITA.

Oratio Παραινετικη ad Regii Gymnaſii alumnos in ſolemni ſtudiorum inſtauratione; Neapoli in 4. 1732. & in opuſculis 1766.

Oratio de publicorum Gymnaſiorum ad optimam diſciplinam utilitate in anniverſaria ſtudiorum inſtauratione, Neap. in 4. 1733. & in opuſc. 1766.

Iſtoria dell'incendio del Veſuvio accaduto nel meſe di Maggio dell'anno 1737. ſcritta per l'Accademia delle ſcienze in 4. Napoli 1738.

Neapolitanae Scientiarum Academiae de Veſuvii conflagratione, quae menſe maii anni 1737. accidit commentarius. Neap. in 4. 1738.

—— Napoli *Italice* in 8. 1740.

—— Napoli *latine & italice* in 4. 1778.

—— Hiſtoire du mont Veſuve, avec l'explication des phènomenes qui ont coutume d'accompagner l'embraſemens de cette montagne, le tout traduit de l'Academie des Sciences de Naples *in Gallicam linguam verſa a Perron de Caſtera* in 12. Pariſiis 1741.

Vita Nicolai Cyrilli in Regia univerſitate Neapolitana primarii medicinae profeſſoris & Regiae ſocietatis Londinenſis Socii, Neap. 1738. in fronte I. tom. conſil. medicor. Nicolai Cyrilli & in opuſculis 1766.

Vindiciae pro Nicolao Cyrillo adverſus Lipſienſium reſponſionem ad virum ampliſſimum Antonium Leprottum Archiatr. Pontific. Neap. 1738. in calce III. tom. conſil. medic. Nic. Cyrilli.

Epiſtola ad Alexium Symmachum Mazochium Profeſſorem Regium & Metropolitanae Eccleſiae Neapolitanae Canonicum an. 1739. ad calcem libelli Mazochiani de dedicatione ſub aſcia 1766. in opuſculis.

Commentariolum de rebus Alexii Symmachi Mazochii in an. 1739. 1766. in opuſculis.

Oſſervazioni sù d' un fenomeno occorſo nell' aprire un Cinghiale a 30. Gennajo 1742. Napoli nello ſteſſo anno. Roma appreſſo i Pagliarini 1745. Napoli 1766. in opuſculis.

Deſcrizione dell' elefante, Nap. 1742. in 4. 1766. in opuſculis.

Del diſcorſo di Luigi Viſone intorno all' elefante parte III. che contiene i ſupplementi e le conſeguenze della parte I. e II. 1742. in 4.

Lezioni accademiche della tarantola in 4. Nap. 1742.

Saggio di conſiderazioni anatomiche fatte ſu d' un leone morto in Napoli nel parco del Re a 24. Gennajo 1744. Nap. nello ſteſſo anno in 4. 1766. in opuſculis. Let-

Lettera a Monſignor Antonio Leprotti medico di S. Santità Benedetto XIV. ſul contagio della peſte, Nap. 1744. 1766. in opuſculis.

Opuſcoli di fiſica, e di vario argomento, Napoli 1766.

Epiſtola ad Joannem Brunum de contagione tabifica Neap. 1757. 1766. in opuſculis.

Oſſervazioni ſulle malattie d' armata in campagna, e in guarnigione di Giovanni Pringle tradotte dall' Ingleſe in volgar toscano da Franceſco Serao con prefazione. Nap. 1757.

Schediasma de ſuffucatis ad vitam revocandis; Neapoli 1766. in opuſculis. *Hujus autographum penes me eſt*.

Quae adhuc edita non ſunt

Epiſtola ad Martinenyum ſaluberrimae facultatis Pariſienſis Decanum de Medicorum, & Chirurgorum Pariſienſium diſſenſione an. 1749. *Autographum in meis adverſariis cuſtoditur*.

Conſilia medica latino & italico ſermone ſcripta, *Horum permulta apud me ſunt*.

Inſtitutiones medicae.

Epiſtolae, inſcriptiones, & carmina. *Epiſtolarum & inſcriptionum haud exiguus numerus a me ſervatur*.

INDEX VITARUM

Omnium, quae Quatordecim hiſce voluminibus continentur.

VOL. I.

1. Galilaeus Galilejus . . . pag. . . 1.
2. Benedictus Caſtellius . . . . 235.
3. Bonaventura Cavalerius . . . . 267.
4. Vincentius Vivianius . . . . 307.
5. Evangeliſta Torricellius . . . . . . 345.

VOL. II.

6. Clemens IX. P. M. . . . . pag. . . 1.
7. Michael Angelus Riccius . . . . . 200.
8. Alphonſus Borellius . . . . 227.
9. Alexander Marchettus . . . . 329.
10. Jo. Baptiſta Ricciolius . . . . . . 359.

VOL. III.

11. Nicolaus Steno . . . . pag. . . 7.
12. Geminianus Montanarius . . . . . . 69.

13. *Marcellus Malpighius* . . . . 128.
14. *Laurentius Magalottus* . . . . 199.
15. *Franciſcus Redius* . . . . 278.
16. *Joſephus de Papa* . . . . 329.
17. *Franciſcus Maria Grimaldius* . . . 373.

Vol. IV.

18. *Laurentius Bellinius* . . . . pag. . . 6.
19. *Georgius Baglivius* . . . . 77.
20. *Petrus Antonius Michelius* 111
21. *Michael Angelus Tillius* . . . . . . 173.
22. *Jo. Dominicus Caſſinius* . . . . . . 202.
23. *Dominicus Gulielminius* . . . . . . 330.

Vol. V.

24. *Aloyſius Ferdinandus Marſilius* pag. 6.
25. *Antonius Maria Valſalva* . . . . . . 65.
26. *Victorius Franciſcus Stancarius* . . 115.
27. *Euſtachius Manfredius* 144
28. *Gabriel Manfredius* . . . . 209.
29. *Bartholomaeus Beccarius* . . . . . 229.
30. *Petrus Jacobus Martellius* . . . . 259.
31. *Franciſcus Algarottus* . . . . 304.

32. *Franciſcus Maria Zanottus* . . . . 326.
33. *Jo. Benedictus Mittarellius* . . . . 373.

Vol. VI.

34. *Henricus Card. Noriſius* . . pag. . . 8.
35. *Philippus Bonarrotius* . . . . 128.
36. *Raphael Fabrettus* . . . . 174.
37. *Jo. Juſtinus Ciampinius* . . . . . . 234.
38. *Franciſcus Blanchinius* . . . . . . 284.
39. *Virginius Valſechius* . . . . 359.
40. *Philippus à Turre* . . . . 366.

Vol. VII.

41. *Antonius Valliſnerius* . . . . pag. . . 9.
42. *Jo. Maria Lanciſius* . . . . 99.
43. *Benedictus Bacchinius* . . . . 182.
44. *Gerardus Capaſſius* . . . . 229.
45. *Benedictus Menzinius* . . . . 264.
46. *Vincentius à Filicaja* . . . . 293.
47. *Joſephus Averanius* . . . . 321.

Vol. VIII.

48. *Benedictus Averanius* . . . . pag. . . 8.
49. *Alexander Politus* . . . . 41.

50. *Eduardus Corſinius* . . . . 76.
51. *Ramirus Rampinellius* . . . . 143.
52. *Guido Grandius* . . . . 186.
53. *Jacobus Philippus Maraldius* . . . 295.
54. *Alexius Symmachus Mazochius* . . 330.

VOL. IX.

55. *Nicolaus Fortiguerra* . . . pag. . . 10.
56. *Scipio Maffejus* . . . . 38.
57. *Caeleſtinus Galianus* . . . . 179.
58. *Apoſtolus Zenus* . . . . 200.
59. *Benedictus Marcellus* . . . . 272.

VOL. X.

60. *Janus Vincentius Gravina* . . . pag. 5.
61. *Ludovicus Sergardius* . . . . 68.
62. *Ludovicus Ant. Muratorius* . . . . . 89.
63. *Franciſcus Maria Lorenzinus* . . . 399.

VOL. XI.

64. *Joſephus Auguſtinus Card. Urſius* pag. 6.
65. *Jo. Laurentius Bertius* 43

Digitized by Google

66. *Bernardus Maria de Rubeis* . . . . 99.
67. *Thomas Vincentius Monelia* . . . 148.
68. *Petrus Benedictus* . . . . 174.
69. *Franciſcus Maria Card. Caſinius* . 194.
70. *Jo. Vincentius Luccheſinius* . . . . 219.
71. *Jo. Antonius Blancus* . . . . 245.
72. *Alexander Guidius* . . . . 269.
73. *Bernardinus Perfectius* . . . . . . 298.
74. *Laurentius Lorenzinius* . . . . . . 318.
75. *Antonius Cocchius* . . . . 392.

V o l. XII.

76. *Jo. Baptiſta Morgagnius* . . pag. . . 7.
77. *Jo. Polenius* . . . . 66.
78. *Jacobus Facciolatus* . . . . 118.
79. *Hercules Franciſcus Dandinius* . . 141.
80. *Camillus Silveſtrius* . . . . 177.
81. *Julius Pontedera* . . . . 205.
82. *Euſtachius Zanottus* . . . . 241.
83. *Jo. de Vico* . . . . 279.
84. *Jacobus Stellinius* . . . . 318.

V o l. XIII.

85. *Jo. Bona Card.* . . . . pag. . . 7.
86. *Leopoldus Andreas Guadagnius* . . 46.

87. *Caſtruccius & Philippus Bonamicii Fratres* . . . . 80.
88. *Petrus Jannonius* . . . . 127.
89. *Juſtus Fontaninius* . . . . 202.
90. *Jo. Antonius Vulpius* . . . . 270.
91. *Sertorius Orſatus* . . . . 301.
92. *Georgius Julinus* . . . . 321.

V o l. XIV.

93. *Paganinus Gaudentius* . . pag. . . 11.
94. *Bernardinus Ramazzinius* . . . . . 62.
95. *Dominicus Lazzarinius* . . . . 99.
96. *Jo. Maria Mazzuchellius* . . . . . 158.
97. *Paullus Maria Paciaudius* . . . . 180.
98. *Claudius Fromondius* . . . . 256.
99. *Rogerius Joſephus Boſcovichius* . 284.
100. *Franciſcus Serauts* . . . . 385.

Digitized by Google

INDEX RERUM PRAECIPUARUM

QUAE IN HOC XIV. VOLUMINE CONTINENTUR.

A

AGhilera 121.
Aiguillionius 358.
Alvarus reprehenſus 93. 111.
Antonius M. de Dominis 314.
...... Triumvir ejus hiſtoria 220.
Arioſtus Franciſcus 71.
Aurora Borealis 299. 312.

B

BAlnea Chriſtianorum 202.
Baitellius Julius 135.
Barruellius 337.
Barthelemicus 216. 218.
Beccarius Barth. 183.
Benallius Franc. 147. 152.
Benedictus XIV. 201. 204. 215. 241. 316. 322. 323.
Benvenutus Carolus 323.
Bernoullus Daniel 311.
Bertallia Romualdus 346.
Bodonius Jo. Bapt. 177. 233 237.
Bonaccurſius Card. 346.
Bonamicius Caſtruccius
...... Philippus 328. 144.
Borbonius Philippus 229.
... Ferdinandus 235. 242.
Borellius Alphonſus 72.
Bottarius Jo. 310.
Boſcovichius Rogerius Joſephus; ejus vita 284. matheſin tractat. 288. docet 294. ejus opera 295. & ſeq. ſyſtema quoddam 281. 305. 330 aſtronomiam colit 308. 318. 359. ejus carmina 323. 332. itinera 328. 332. 344. 353. 355. opera optica 339. 348. 359. mors 363.
Brambilla Alex. 54.
Brunus Jo. 399.
de Burgos Alex. 109.
Burgundius Horatius 289. 294.
Burnetius Thomas 68.

C

CAjllius 319.
Capaſſus Nicolaus 411.
Carteſius 314.
Caſonius Card. 117.
Caſſianus a Puteo 19.
Caſtellius 266.
Caſtrenſis Stephanus 31.
Catharina Ruſſorum Regina 237.
Cayluſius Comes 216. 218. 232.
Cervius Hannibal 65.
Clairautius 340.

Cle-

Clemens XIII. 349.
Columna Proſper 129.
Cornelius Ludovicus 81.
Corrarius Petrus 343.
Creſcimbenius Marius 104.
Cupra Montana, ejus antiquitates 187.
Cyrillus Nicolaus 388. 391. 394.

D

DAniel Franc. 382.
Dollondius 338.
Durantes Cammillus 181.

E

ETmullerus Michael 394.
Eulerus 302. 314. 338. 351.

F

FAcciolatus 85. 119. 147.
Faſeolus 119.
Fellinius Marchio 231. 233.
Ferdinandus II. M. E. D. 20. 31.
Ferrarius Guidus 364.
Firmianus Comes 354.
Fontaninius Juſtus 111. 132. 137.
Fromondius Claudius; ejus vita a 256. opera 258. & ſeq. errores 267. mores & ingenium 272. & ſeq.

G

GAleardus 135. 159.
Galianus Caeleſtinius 391. 392. 398.
Garopholus 116.
Gattus M. Ant. 114.
Gaudentius Paganinus: ejus vita 11. ejus occupationes Romae 15. in Etruriam venit 20. de illius ſcriptis judicium 8. 24. 30. ejus mores & mors 39. 40.
Gentilius Jo. 260. 264.
Germonius reprehenſus 111.
Gorius Ant. Franc. 191. 198.
Grandius Guido 257. 259.
Grammatices, de ea opiniones 91.
Gravina 93. 110. 116.
Guadagnius Leop. 274.
Guſtavinus Julius 31.

H

HAllerius 79. 412.
Harduinius 111.
Heineccius reprehenſus 222.
Hieroſolymitani Ordinis hiſtoria 197. 215. 236.
Hoſpitalius Marchio 391.

I

IAcomellius 127.
Ignarra Nicol. 411. 415.
Io. Baptiſta S. de ejus cultu opus 214.

Itis,

Iris, ejus explicatio 287. 314.

L

LAma Bernardus 180.
Lamius Jo. 191. 265. 266.
Lagomarſinius 93. 127.
Lazzarinius Dominicus, ejus vita 99. a Jeſuitis exagitatus 102. 111. 141. 146. Graecis litteris doctus 117. Patavii docet 118. ejus orationes 121. tragoedia 122. comoedia 124. carmina 126. opera deperdita 138. mors 142.
Lecchius Ant. 347.
Leopoldus Auſtriacus 355.
. . . . Mediceus 27.
Leibnitius Guil. 67.
Leprottus Ant. 399.
Lombardius Cajetanus 115.
Lorgna Ant. Maria 248.
Lucenſes, eorum controverſiae 328.
Ludovicus XVI, 361.
Lupulus Michael Angelus 382.

M.

MAbillonius defenſus 111.
Maffejus Scipio 123. 131. 135.
Magliabechius Ant. 66. 110.
Mairanius 299. 305. 312.
Majerius Chriſtophorus 318. 322.
Manfredius Gabriel 346.
Marchettus Alexander 131.
Marefuſchius Card. 136.
Mazochius Alexius 398. 400. 410.
Mazzuchellius Jo. Maria, ejus vita 158. munera 165. opera 160. 265. mores & mors 168. 169.
Medicinae ſimplicis laudes 55.
Menghinius Petrus 12.
Mercius Comes 355.
Meſſierius 257.
Millaboiſius 358.
Minerbettus Alex. 34.
Monelia Andreas 65.
Montignus 304.
Marcellius Steph. 364.
Morgagnus Jo. Bat. 397. 412.
Mozzius Julius 278.
Muratorius Ant. 132.
Mutinenſes fontes 69.

N

NAnius Bernard. 223. 228.
Neapolitanorum Rex Carolus 392. 398. Ferdinandus 403.
Newtonus 266. 290. 314. 330. 333.
Noceтus Carolus 286. 288. 312. 313.

O

ODdius Jacobus 208.

P

PAciaudius Paullus Maria: ejus vita 180. eloquentia 185. doctrina in rebus phyſicis 183. antiquis 186. & ſequent. munera 229. 232. itinera 230. elegantia 238. mores 241. mors 242.
Pallavicinius Sfortia 39.
Paſſioneus Dominicus 112.
Patritius Franciſcus 68.
Patricellius Michael 410.
Paullus V. 14.
Perellius Thomas 258.
Phyſica quomodo excolenda 248. 278.
Pindemontius Hippolytus 5.
Pintus Emanuel 196.
Polenius Jo. 359. 310.
Pomius Comes 345.
Pontina palus 346.
Porterius Jacobus 344.
Pringlius Jo. 401.
Puccinellius Franc. 361.

Q

QUadrius Xaverius 159.
Quirinius Angelus Maria 108. 164.

R

RAmazzinius Bernardus: ejus vita 162. carmina 64. 90. opera phyſica 67. 71. medica 65 71. 75. 79. orationes 77. murs 84.
Ravilliaſius 310.
Redius Franciſcus 29. 55.
Richecourtius Comes 328.
Rochonius 358.
Roncallius Franc. 221.
Roſſius Franc. 401.
Roſpilioſius Julius 34.
de Rubeis Ant. Maria 62.

S

SAlvinus Ant. 116.
Sartius Maurus 187.
Scapinellius Lud. 20.
Scherfferius 319. 330.
Sclavus Blaſius 133.
Seraus Franciſcus; illius vita 385. quam doctus medicus 387. ejus munera 390. 400. 402. opera 391 & ſeq. 401. mores 407. mors.
SibilliatusClemens 91. 240.
Sommaja Hieronymus 33.
Spinellius Card. 188. 197. 200.
Spoletus Franciſcus 82.
Strada Famianus 37.
Stajus Benedictus 325. 361.

T

TAglinius Carolus 270
Targionius Jo. 270.

Taſſonius Alexander 20.
Terrae figura 300.
Thereſia Regina 329.
Timonius 293.
Tiſſotius 79.
Tortius 80.
Travasa Cajetanus 181.
Triremium forma 220.
Trojae deſcriptio 343.
Trombellius 206.

V

VAlentius Card. 316. 328.
Velleja, ejus antiquitates 230.
Vergenius Comes 344.
Vesuvii incendium 392.
Victorius Franciſcus 194.
... Petrus 116.
Villoiſon laudatus 154.
Vita de 212.
Vitelleſchius Mutius 15. 20.
Vires vivae an exiſtant. 303.
Umbellae uſus 210.
Urbanus VIII. 16.
Urſius Joſephus 110. 117.
Vulpius Jo. Ant. 126.
Winkelmanius 226.

Z

ZAmagna Bernard. 364.
Zanottus Franc. 304.
Zenus Apoſtolus. 100. 187.

F I N I S.

005270814 MAGL. 5 6 199
5270814

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 9. lin. 15. nihilo tamen minus deberi	nihilo tamen minus putavi deberi
11. l. 17. detigit	detegit
50. l. 5. Launovio	Launojo
53. l. 1. Italice	Italica
72. l. 9. exugere	exſurgere
10. l. 6. Garofoli	Garopholi
119. l. 5. Faſelo	Faſeolo
125. l. 8. praesbyteris	presbyteris
173. l. 17. Jannes	Joannes
179 l. 16 MCCLXXXVII	MDCCLXXXVII.
193. l. 12. exentravit	exenteravit
199. l. 13. aeripidem	aeripedem
205. l. 10. circumunivit	circummunivit
230. l. 17. Latharingiam	Lotharingiam
245. l. 21. Athleatarum	Athletarum
246. l. 24. programate	programmate
310. l. 2. praeconiiis	praeconiis
371. l. 24. ladorum	ludorum

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google